BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
18
12 — A
44

Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu
III · 14 · e

III
13
E

Digitized by Google

M

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Goo

LIBELLVS THEOLOGICVS

PERBREVIS DE PRIMARIIS ALIQVOT RELIGIONIS AC fidei Chriſtianæ capitibus:

vtpote:

I. De DEO *& ſancta perſonarum eius Trinitate: vbi ſimul de verbo Dei nonnulla.*

II. De Prædeſtinatione ac Prouidentia Dei.

III. De Perſona & officio Chriſti mediatoris atque Saluatoris noſtri.

IV. De Eccleſia, & veris eiuſdem notis.

V. De iuſtificatione hominis coram Deo, per ſolam fidem; ac de bonis operibus.

VI. De Sacramentis in genere; ac ſeorſim de Baptiſmo & Cœna Domini.

VII. De precibus & vera Dei inuocatione.

CONSCRIPTVS ab
GERH. EOBANO Geldenhaurio, Eccleſiæ Eltianę
ad Nicrum, paſtore.



HANOVIÆ
Apud Guilielmum Antonium.
MDCIV.

Digitized by Google

Epheſ. 4.

Studentes ſeruare vnitatem Spiritus per vinculum pacis. Vnum eſt corpus & vnus Spiritus, ſicut & vocati eſtis in vnam ſpem vocationis veſtræ. Vnus Dominus, vna fides, vnum Baptiſma, vnus Deus & pater omnium, qui eſt ſuper omnes, & per omnes, & in omnibus vobis.

PRÆCLA-

Digitized by Google

PRÆCLARISSIMIS, AVITA EQVITVM AVRATORVM STIRPE ORIVNDIS, OMNIGE-*naque virtute ſpectatiſſimis viris*, Arnoldo de Beyer, *Conſuli & ſenatori urbis* Veſaliæ *primario, &c.* Hendrico de Beyer *conſuli ac ſenatori* Nouiomagẽſi, & Iohan. de Beyer *huius fratri eiuſdem urbis Syndico, conſobrinis meis, eorundemq; ſororiis affinibus meis, tum charissimis, tum quouis officiorum genere colendis: Honoratiſſimis item & eximiis viris*, Chaſparo Dryandro *Telonarchæ Goarino, ſororio meo.* Lamberto Iohannis, *viro Conſulari Nouiomago*, Angelo Becomanno, *Teloniographo Rhenibergico*, Hendrico Vineę, *Cellario Brubachico &* Guilielmo Omphalio, *Cellario Baccharacenſi, affinibus meis; cunctis illis & ſingulis Dominis atq; fautoribus meis, exquiſito ſtudio, honorandis.*

S. P. D.

SÆPE multumque cogitaui, in hac pręſertim ſenecta mea, viri pręclariſſimi, & eximii, domini cõſobri-

ni, ſororie & affines, colendiſſimi, quonam potiſſimum argumēto idoneo, ſtudium erga vos meum, aut aliquod ſaltem eius indiciū, teſtatum facerem: nec tamen ſatis commoda mihi hactenus occaſio data eſt. Venit autem in mentem libelli huius perbreuis, Theologici quidem, ſed ante aliquot annos, a me in vſum duntaxat priuatū conſcripti; quo præcipua quædam orthodoxę doctrinę capita, neruū tamē totius Chriſtianæ religionis cōtinentia, complexus ſum & paucis explicui. Hunc enim paulò antè, aliâ tamen adornatum formâ, hoc eſt, perpetuis erotematibus deductum, & reuerēdo atq; inſigni viro (quem honoris cauſſa, tanquam communem noſtrum ac veterē amicū,

nomi-

Digitized by Google

nomino) Dn. *Iohanni Fontano*, Eccleſiæ Arnheimenſis in Geldria, paſtori fideliſſ. deq; repub. Chriſtiana bene merito, per occaſionem, inſpiciendum dederam, & cum aliis hinc inde viris doctiſſimis communicaueram. Cumque non illis eum diſplicere animaduertiſſem; in Belgico meo itinere, filii minimi natu cauſſa in Angliam traiiciens, Eccleſiæ Londinenſis Germanicæ Miniſterio & presbyteris, nominatim verò, venerãdis, clariſſimis, præſtantiſſimisq; viris, domino *Ahaſuero Regimortello*, Dn. *Iohanni Regio*, ac Dn. *Iohanni Rutingo*, fideliſſimis Chriſti ſeruis (qui magno honore ingentibusq; beneficiis me ꝓſecuti ſunt) eundẽ examinandũ tradidi. Quorũ cõmuni approbatus calculo, generoſo inſuper

Digitized by Google

viro Dn. *Leuino Buncio*, ibidē, me tamen inſcio, fuit exhibitus. Et huius deniq; inſtinctu atq; opera, totiusq; dictæ Eccleſiæ presbyterii cōſilio, reuerēdiſſimo in Chriſto patri ac Domino, Dn. *Richardo Bancroſt*, ſacræ Theologiæ Doctori & Epiſcopo Lōdinenſi meritiſſimo, &c. oblatus. Cui tā non fuit ingrata ſimplex libelli breuitas; vt nō ſolū honore me afficeret, verū etiā reuerendiſſ. patri ac Dn. Dn. *Iohanni Mutgyſto* Archiepiſcopo Cantuarienſi, totius Angliæ primati & regiæ Maieſtati à ſecretiorib. cōſiliis, viro tū exquiſita pietate, doctrinâ, & virtute, tū veneranda canitie, profundis conſiliis ac multo rerū maximarū vſu, ſpectatiſſimo, de meliori nota me cōmendaret. Is ergo & alloquio & mēſa

ſua

ſua me dignat⁹, nō ſine honore, liberaliſſimè acceptū, dimiſit. Quā tātā reuerendiſſimorū dominorū D. Archiepiſcopi Cantuarienſis ac D. epiſcopi Londinenſis, beneficentiā, virorū, inquā, laudatiſſimorū, quin debiti honoris & obſequii ergô publicè depdicarē, ſine maximæ nota ingratitudinis, facere non potui. Hinc demū animus mihi accreuit, vt dictū libellū denuo recognoſcerē, & in hanc formulā puerilē forte nimis, redigerē ac veluti, (additis, rurſusq; omiſſis, prout conducibile videbatur, nonnullis) recuderē: ita tamē, vt in ſententia & rebus ipſis mutatum ſit nihil, & eadē tum dictio tum ſeries tractandi, retenta.

Hunc ipſum igitur prçclariſſimi & eximii viri, libellū, gratę

Digitized by Google

memoriæ & obſequii ergô, vobis cõſecrare & veſtro auſpicio publici iuris (quod aiunt) facere inſtitui; donec vel dilectiſſimus meus primogenitus *Iohan. Geiſenhaurius Nouiomagus*, Scholæ Budinganæ & Rector & Lector Theologicus, eiuſdemq; Eccleſiæ miniſter, vel reuerẽdus & apprimè doctus vir, dominus *Iohannes Heydfeldius* Ebersbachicæ Eccleſiæ paſtor, & gener meus exoptatiſſimus, vel eruditiſſimi & chariſſimi nepotes è ſorore mei, *Guilielmus* & *Daniel Mangeri* fratres, euidẽtiori aliqua ratione (quod à me per ſeniũ fieri neq̃t) vos ornent.

Ego verò, ſiquid à me gratiofficii proficiſci putetur, quibusnã, obſecro, potius, quã vobis, poſt Deũ, propinquis meis chariſſimis, idipſum debeã? Quã iis,

qui

qui paterno me ſanguine attingunt? Quorum fauorē & ſtudiū toties expertus ſum? Qui ſoli meā, in petitione amitinæ hæreditatis contra *Ericum* ſeu *Richardū Bramſium* ſenatorē Nouiomagenſem, cauſsā iuſtiſſimā, hactenus tutati, tā liberali tum hoſpitio tū ſumptu me fouerūt, & pro viribus etiānum adiuuant? Ac pendet adhuc negotiū illud inde ab annis nouēdecim. De qua mora & iniuſta noſtrę hęreditatis pręreptę poſſeſſione Bramſius, ſi nō magiſtratui & nobis, certè Deo tamen, rationē aliquando reddet. Quoties rē tentaui amiciſſimâ ratione, per vos, propinqui venerādi? Quoties per Eccleſiæ veſtræ miniſtros & ſeniores? At incaſſum: cum tamen & ipſe pro Eccleſiæ mēbro, ſeſe venditet.

Digitized by Google

Nec deſunt apud vos, qui cũ vrgeretur, reſpondentem audiuere, Dat ick hebbe/dat hauw ick. Sed quo iure? Qua conſcientia? Qua fronte? Viuit interim iſte, noſtra auctus hæreditate, & habetur in honore, vel in ſenatum cooptatus: nec tamen reſipiſcit toties admonitus, quauis durior cote vel ſilice. Mihi verò obſtitit, quòd remotius habitarẽ, quòd iuris proceſſum apud vos peculiarẽ, haud aſſequerer, quòd Aduocatus meus, qui rẽ ſatis intelligebat, primo ſtatim anno peſte extingueretur & acta interciderent, quòd Hiſpana tyrannis circiter nouennium integrũ nos remoraretur: vt longum iter taceam & ſumptuum difficultatem. Verum abrumpo telã iſtã: quam nectere & rei me indignitas

tas

tas & iuſt⁹ dolor coëgerunt. Vos, quæſo, ignoſcite, & cauſſę iuſtiſſimæ patrocinium ne deſerite.

Porrò, (vt de libelli huius materia mentionē iniiciā) quid aliud iam ſenex, quid vobis gratius, quid aliis vtilius, in veſtrum honorem & gratiā conarer, quā vt relinquam vobis breuem, eius quā vltra annos quadraginta quatuor, indigniſſimus Eccleſię miniſter, publice docui, orthodoxę doctrinę ſummā? Opibus, per vos, & virtute ſatis inſtructi eſtis, honorati præ aliis multis: at pietas & religio, demum, ornamenta ſunt præcipua nexus amicitiæ firmiſſimi, theſaurus incomparabilis. Hæc ornamenta, hunc theſaurum, ita vobis (quod re ipſa, aliquoties, nō ſine vitę periculo & opū iactura,

Digitized by Google

inter hos tamdiuturnos motus, teſtificati eſtis) cordi & curę eſſe certò ſcio, vt vitã citius ꝓfuſuri ſitis cũ fortunis omnibus, quàm vel culmum latũ, ab agnita Euãgelii luce, ac veritate, receſſuri. Quẽ animũ Chriſtus Dominus deinceps vobis clementer conſeruet ac Spiritu ſuo ſtabiliat. Eò autẽ cõmẽdatior vobis, hic noſter qualiſcũq; labor eſt futurus. Neq; ꝑfecto tam eſt ratione ſanguinis aut ꝓpinquitatis arcta neceſſitudo vel amicitia vlla; quin diuerſę inter & cõtrariæ religionis homines, languorẽ facile cõtrahat & vileſcat, ne dicã, in hoſtile odium, ſæpè degeneret ac peruertat. At cõiunctio animorum, quæ præter propinquitatem, nititur etiam vnitate fidei; illa demũ eſt vera, viua, ſolida, &

in æ-

in æternum durabilis. Atq; hoc pacto Deus benigniſſimus nos vtrinq; colligauit, nõ ſanguinis modò, ſed etiã fidei in Chriſtum & orthodoxæ religionis, vinculo indiſſolubili: cui gratia & benedictio, laus & honos in ſecula.

Quapꝑter, vt Deo in primis eſſemus grati, vt perpetuũ eius rei ſymbolum inter nos extaret publicè, vt mutuâ cõgratulatione, nos inuicẽ recrearemus, ad ſtudiumq; pietatis indeſinens, adeoq; ad veram in fide perſeuerantiã cohortaremur, vt mutuis deniq; precibus & nos ipſi & totam Eccleſiæ cauſſam Deo cõmendaremus: hoc quale quale monumentum vobis erigendũ atq; ſtatuendum, exiſtimaui: de perpetuo veſtri omnium fauore ac beneuolentia, nihil ambigẽs.

Bene valete & ſaluete omnes, ac ſtudium noſtrum boni cõſulite. Quod ſupereſt, Deus pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, vos cunctos & ſingulos vnà cum familiis veſtris protegat, benedictione ſua locupletet, & incolumes ſibiq; gratos, conſeruet. Amen. Eltiæ ad Nicrum, Idibus Auguſti: 1603.

V. præſt. propinquus, obſequiique ſtudio vobis cunctis & ſingulis, addictiſſimus.

GERH. EOBANVS *Geldenhaurius.*

Digitized by Google

INSIGNIA IOHANNIS BAVARI EQVITIS AVRATI de S. Cæcilia.



Talibus effulgens inſignibus, altior ibat
Iannes, de Boiis nomina auita trahens.
Is Nouiomagæ, decus amplum, gentis, & vrbis,
Auratusq́; fuit, fortis & acer, eques.
Magnanimus verè, & grandi, vir, honore, cruenti,
Seu ſpectes Martis, vel mage, pacis opus.
Albus ei clypeus pacis deſignat amorem:
Sed belli robur, trabs notat atra triplex.

Digitized by Google

Aurea virtutis meritum calcaria pandunt:
Gloria Bauarici nominis inde venit.
Sex ille atq; decem gnatis pater extitit, vno
Coniugio, viuis, virginibusq; nouem.
Nunc atauo remanent veſtigia digna nepotum:
Tanta viri pietas, tantus honosq; viget.
Cæciliam prudens, memor & pietatis, omitto:
Solus enim cunctis, Chriſte, patronus eris.

G. E. G. F.

LIBELLI

Digitized by Google

LIBELLI THEOLOGICI DE PRIMARIIS ALIquot religionis ac fidei Chriſtianæ capitibus,

CAPVT PRIMVM.

De Deo & ſancta Perſonarum eius Trinitate.

CVm nō temerè aut fortuitò hæc tanta totius mundi machina, & hoc tam illuſtre tum cælorum tum orbis terrarum, cōfluxerit opificium; ſed præclare & glorioſè de ſummo ſui conditore & architecto teſtificetur: omnis profecto creatura rationalis & quam maximè homo ad imaginem Dei conditus excitandus eſt, & obſtringitur, ad inueſtigandum illud totius vniuerſitatis excellētiſſimum atque nobiliſſimum principium, cuius tam ſublimis & admiranda eluceat ex rebus creatis, vt ſapientia, ita etiam bonitas & omnipotentia. Nec ſanè aliud vel cogitandum vel conſtituendum eſt, **Deus author totius vniuerſi.**

Digitized by Google

quam Deus ipſe, vnicus ille totius naturæ & omnium rerum bonarum author, conditor atq; conſeruator. Quo minus à vero aberraſſent, qui naturam dixêre *rerum omniũ procreatricem*, Ethnici, niſi perperam illud de *natura creata* interpretati fuiſſent: quam tamen ſuiipſius principium eſſe putãtes, inciderunt in erroneam de mundi æternitate opinionẽ. Sed aliter Moſes, *Geneſ.* 1. *& Paulus Coloſſ.* 1. *Hebr.* 1. *Iohan* 1.

Quomodo rerum procreatrix natura?

Quod ſit Deus.

Duplex liber cognitionis.

Conſtat autem eſſe Deum, ex libro illo cognitionis duplici: naturę videlicet, ac reuelationis.

1. Liber naturæ.

Natura quidem conſcientiam ſuppeditat & experiẽtiam. Conſcientia aut eſt ſcientiæ, aut facti. Scientia in eo ſeſe explicat, ꝙ ratio diuinitus homini conceſſa perſpiciat, non procedere cauſſas in infinitum (quæ mera eſſet confuſio) ſed vnam eſſe primam & ſummam cauſſam rerum omnium, quæ ſit Deus. Hanc enim lucem hominis, ille naturæ indidit, *Rom.* 1. *verſ.* 19. Factum verò dicimus omnem hominis internam aut externam actionem: In qua, cogitationes inuicẽ ſe coram ſupremo iudice ac ſummo bono, qui eſt Deus, accuſant vel excuſant. *Rom* 2. *verſ.* 15.

Cõſcientia { Scientia. Factum ſeu actio.

Experientia.

1.

Ad experiẽtiam denique quod attinet, ea primo nititur vniuerſali & œcumenicô conſenſu: quod nullla gens tam ſit effera, quin Deum & eſſe & colendum eſſe, agnoſcat. Qua in parte Diagoras Melius cum Theodoro Cyrenaico & ſimilibus,

Digitized by Google

bus, Deũ abnegantib. queadmodũ hæſitans etiam & vtramque in partem claudicans ille, Protagoras (Ethnici inquam Philoſophi) contra naturam & propriã conſcientiam atque experientiam fuerunt contumaces: non minus quam ſtulti & impii omnes, quotquot in corde ſuo dicunt, *non eſt Deus*, Pſal. 14. Deinde experientia Deum eſſe, II.
colligit ex rerum creatarum ordine pulcherrimo, gubernatione ſapientiſſima & conſeruatione potentiſſima: ſiquidem hęc omnia teſtantur, non à ſemetipſo mundum vel coaluiſſe vel regi & ſuſtentari, *Rom.* 1. *verſ.* 20. Tum idem elucet ex ipſius hominis, tam vtique præſtantis & intelligentis naturæ, creatione; cuius opificem & conditorem neceſſe ſit incomparabiliter eſſe præſtantiſſimum & ſapientiſſimum. *Pſal.* 8. 139. *verſ.* 15. *Malach.* 2. *verſic.* 10 III.

IIII. Atque huc denique pertinet, horribilis illa vindictę ſcelerum experientia, tam ſæpenumerò inopinata & admirabilis, *Pſal* 50. *verſ.* 20. 21 *Rom.* 2. *v.* 15. Iam reuelatio duplex eſt: aut externa per verbum Dei, aut interna per teſtimoniũ Spiritus ſancti in corde. Verbum Dei omnem tollit ambiguitatem, teſtimoniis de Deo ipſo, & voluntate operibuſque eiuſdem magnificis, vtpote creationis, redemptionis, ſanctificationis, glorificationis, & ęterni iudicii atque regni &c. manifeſtiſſimis. Ac ne quis dubitationi locus relinquatur, *an Scriptura ſancta*

II. Liber reuelationis.

Reuelatio externa.

Digitized by Google

verbum Dei ſit, liquet huius rei certitudo ac veritas ex multis rerum argumentis efficaciſſimis.

I. *Certitudo S. Scripturæ.* Primum enim, quò quid antiquæ ſimplicitati vicinius & propius, eò quoque certius eſt. Nulla verò vſquam extat Scriptura libris Moſaicis vetuſtior, ipſam conditi mundi & ingentium Dei miraculorum hiſtoriam referentibus, Lucæ 16. *Moſen habent & prophetas, hos audiant, &c.*

II. Deinde ſancti prophetæ vno omnes ore, profitentur ſacram Scripturam eſſe verbum Dei: non vtique à ſemetipſis locuti, ſc. inſtinctu Spiritus ſancti. 2. *Pet.* 1.

III. Tertio, ipſe Dei Filius vnigenitus, dominus ac Saluator noſter Ieſus Chriſtus, idem aſtruit & confirmat. *Matth.* 13. ℣. 9. *Lucæ* 8. *verſ.* 11. *cap.* 24. *verſ.* 25. 27. *Iohan.* 5. *verſ.* 38. 39. & *cap.* 17. *verſ.* 17.

IIII. Quarto, hoc ipſum euincit inſuper ipſa experientia & rerum euentus: ſeu vis & veritas promiſſionum pariter & comminationum Scripturæ ſanctæ, ipſorumque vaticiniorum, nulla in parte fallentium. *Matth.* 24. *verſ.* 35. *Iohan.* 17. *verſ.* 17. 1. *Iohan.* 5. *verſ.* 10.

V. Quinto, huc facit, materia in ſacris literis propoſita ac pertractata. Docent enim illę ſapientiam verè cæleſtem, omni intellectui & rationi humanæ pręponderantem: adeò vt homo ψυχικὸς abſque illuminatione Spiritus ſancti haudquaquam eam percipiat.

cipiat. 1. *Cor. 2. verſ. 13. 14. Et profectò ita eſt,* inquit Cicero, *vt id habendum ſit antiquiſſimum ac Deo proximum, quod eſt optimum.*

Sexto, accedit & hæc vniuerſa, durabilis illa ſacræ Scripturæ perpetuitas: quod ea, nullius vnquam Antiochi aut Iuliani, adeoque nulla Diabolorum, rabie, aut hoſtium tyrannide vel ſęuitia (quantumuis extremè tentatum ſit) opprimi aut deleri, potuerit. Septimo, cum hiſcè concurrit & congruit excellentia miraculorum, quibus eandem Scripturam Chriſtus ipſe, Moſes item, cum prophetis & Apoſtolis, conſolidarunt. Vt verè beatus Auguſtinus de Doctr. Chriſt. lib. 1. cap. 37. *Titubat fides, ſi Scripturæ ſanctæ vacillet authoritas.* VI. VII.

Etſi verò non par eſt ratio omnium ſanctę Scripturæ librorum: ſiquidem *apocryphi* nonnulli (ab obſcuritate nimirum) vocantur, qui, etiamſi non ſint impii aut penitus ab Eccleſia reiecti, minus tamen euidentiæ ad comprobandos fidei articulos conferant: vt ſunt tertius & quartus Eſdræ, Tobias, precatio Manaſſis, Iudith, Baruch, additiones in tertium & duodecimum capita Danielis, item ſeptem capitum in Eſther & liber Sapientiæ, cum Eccleſiaſtico & tribus libris, Machabæorum: Attamen ſufficiunt reliqui omnes, *canonici* appellati, veteris teſtamenti libri, qui in Hebræo canone compræhenſi & Hebraicè conſcripti extent vniuerſi. Quēadmodū & N. teſta- *Libri apocryphi.* *Libri Canonici.*

menti omnes libri, indubitatum Dei verbũ ſunt: ſiue œcumenicus ſpectetur cõſenſus, ſiue rei veritas, ſiue miracula eam comprobantia.

Reuelatio interna: ſeu liber cordis.

Reſtat interna reuelatio per teſtimoniũ Spiritus ſancti: quam *librũ cordis* appellam⁹. Hunc librum nemo alteri mõſtrare aut prælegere poteſt, ſed vnuſquiſque credentium, ex interno Spiritus ſancti teſtimonio intra ſeſe & in ſeipſo, veram Dei cognitionem perſentiſcit ac perſpicit. Atque hæc eſt fides illa Electorum Dei, ex reuelatione Spiritus ſancti in corde ſuo, non minus quàm ore externo, dicentium: *Credo in Deum*, &c. 1. *Cor.* 2. *verſ.* 10. 11. *Rom.* 8. *verſ.* 9. 14. 15. *Heb.* 11. *verſ.* 2. 3. 6. *Tit.* 1. *verſ.* 1.

Quis ſit Deus?

Luculenter igitur & irrefragabiliter demonſtratum eſt, eſſe Deum: ſed qui ſit, porrò diſpiciendum.

Quamquam verò nomen *Dei* eſt ineffabile, ac dici facilius poteſt, quid non ſit Deus, quam qui vel quid ſit, quoniam alius ille eſt ab omnibus creaturis, quarũ certè nulla Deus, attamen ſic ille in verbo ſuo ſe patefecit, quod ſit eſſentia ſpiritualis vnica, æterna, omnipotens, omniſcia, incõpræhenſibilis, vbique ſimul tota, immutabilis, immenſæ iuſtitiæ & miſericordiæ, verax, caſta, liberrima: qui eſt pater æternus, & coæternus eiuſdem patris Filius vnigenitus, qui in vnitatem æternæ ſuæ perſonæ humanam naturã, ſine omni labe peccati, indiſſolubiliter aſſum-

Digitized by Google

ſumpſit, & eſt Spiritus ſanctus à patre ac filio procedens: conditor, gubernator & cõſeruator omnium creaturarum, viſibilium, & inuiſibilium: colligẽs ex genere humano Eccleſiam, à qua agnoſcatur & colatur, & quam æterna beatitate coronet: ac econtrà impios iuſto iudicio condemnans.

Nec impedit, quo minus Deus eſſentia ſit ſpiritualis & immutabilis: quod Scriptura interdum oculos ei tribuit & aures & brachium, & manus atque pedes: quod itẽ pœnitudine eum duci, affirmet: nam illa ſunt cũcta per ἀνθρωποπάθειαν intelligenda: ne in hęreſin Anthropomorphitarum, Deo membra humana affingentiũ, incidamus. Etenim ꝓpter imbecillitatẽ noſtram, Scriptura more humano, nobiſcũ de Deo loquitur. Vbi prętereà tenendũ, *attributa Dei*, vt ſunt omniſcientia, omnipotẽtia, iuſtitia, miſericordia, veritas, &c. nequaquã eſſe accidentia, aut qualitates in Deo, ſed eſſentialia omnia: hoc eſt, ipſam Dei naturam & eſſentiam.

Oculi, aures & brachium Dei.

Anthropomorphitæ.

Attributa Dei.

Vnicam tamen hanc eſſe diuinam eſſentiam, ſeu vnum Deum, non plures: partim ratione, partim ſacræ Scripturæ teſtimoniis, probatur. Et ratione quidem, quod impoſſibile ſit, duo vel plura ſimul eſſe infinita: ſiquidem vbi vnum inciperet, alterum deſinere oporteret, & vnũ infinitum alii cedere. Scriptura autem copioſè & ſufficienter de vnitate Dei teſtificatur: *Ex. 20. verſ.*

Deus vnus.

Ratio.

Scriptura.

2. *Deut.* 4. *verſ.* 7. 31. *Et cap.* 5. *verſ.* 6. *cap.* 6. *verſ.* 4. *Pſ.* 18. *verſ.* 32. *Eſa.* 42. *verſ.* 8. *cap.* 46. *verſ.* 9. *Malach.* 2. *verſ.* 10. 11. *Rom.* 3. *verſ.* 30. 1. *Cor.* 8. *verſ.* 5. 6. *Eph.* 4. *verſ.* 5. 6. *&c.*

ObiectioTritheitarum.

Quod autem obiiciunt Tritheitæ: *Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, & ſimiliter Spiritum ſanctum: Atqui patrem, Filium ac Spiritum ſanctum eſſe tres: Ergo tres Deos, &c.* Ad illud reſponſio eſt perſpicua. Primo, quatuor in argumento eſſe terminos: ſiquidem propoſitio maior, de eſſentia & natura Dei, quæ vna tantum eſt trium perſonarum communis, loquitur: minor autem ſeu aſſumptio, non de natura, ſed de tribus diſtinctis perſonis & hypoſtaſibus intelligenda venit. Deinde, plus eſt in concluſione, quam in præmiſſis: quia ex trinitate hypoſtaſeon, triplicitas eſſentiæ inferri nequit. Sic autem rectè procederet argumentatio: *Pater, Filius & Spiritus ſanctus, vna ſunt & eadem eſſentia diuina, ſeu Deus vnus: Atqui Pater, Filius & Spiritus ſanctus tres perſonæ ſunt ſuis proprietatibus diſtinctæ. Ergo tres perſonæ diſtinctæ, ſunt vna eſſentia diuina ſeu vnus & idem Deus.*

Multi dii, quomodo?

Et quandò Apoſtolus ait, 1. Cor. 8. *Multi ſunt dii ac multi Domini:* ὁμωνυμία in voce *dii* & *Domini,* obſeruãda eſt. Neq; .n. Apoſtolo ſermo eſt de iis qui naturâ ſint Deus ille ac dominus: ſicuti poſtea de vno Deo patre & vno Domino Chriſto, loquitur: Verum de iis potius, qui aut propter vocationis eminen-

nentiam *dii* appellantur, vt ſunt angeli, & prophetæ & magiſtratus legitimus. Ideò nimirum dicti *dii*, quod verbum Dei ad eos factum eſſet, interprete Chriſto, *Iohan.* 10. *verſ.* 35. 36. vide *Exod.* 7. *Ego te conſtitui Deũ Pharaonis.* Et 1. *Sam.* 28. *v.* 13. Item *Pſal.* 82. *Ego dixi, vos dii eſtis.* Aut dii dicuntur, opinione & ſuperſtitione hominum: de quibus ibidem Paulus: *Scimus idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium, niſi vnum.* Quod ergo vel propter excellentem aliqui vocationem, vel hominum alii ſuperſtitione *dii* appellãtur: id vni vero Deo nil derogat. Exodi 20. *Non habebis* Deos *alienos.* Pſal. 86. *Non eſt ſimilis tui in diis.* Pſal. 96. *Dii gentium omnes, dæmonia.* Gal. 4. *Ignorantes Deum, ſeruiebant iis, qui naturâ dii non ſunt.*

Manichæi impii olim contendebant, duo eſſe principia coæterna, ſeu duos Deos: *bonum vnum*, & alterum *malum*. Ratiocinabãtur iſti ex natura relatiuorum, putantes nihil per ſe bonum dici poſſe vel cogitari niſi tantũ reſpectu mali: adeoq; ſine æterno malo nec æternum bonum poſſe conſtitui. Sed errabant dupliciter. Primo, quod Deũ relatiuè bonum, putarent: qui naturâ & eſſentiâ, per ſe bonus eſt, non reſpectiue. Nam Dei bonitas ipſius eſt æterna ſubſtantia, non aliqua in eo qualitas. Deinde, perperam ſtatuebant, naturam aliquam in ſeſe eſſe malam: quæ nulla vſquam eſt. Sed

Duo Manichæorum principia.

Digitized by Google

malitia, vbicumque in vllam cadit naturam, accidens malum, non vel natura vel ſubſtantia ipſa eſt: ſed accidens malum, inquam, naturam per ſe bonam corrumpens ac depravans; vti peccatum in angelis & hominibus. Solum verò Deum, eſſe rerũ omnium principium, & creaturæ vniuerſę authorem, gubernatorem atq; conſeruatorem, cum Scriptura affirmat *Gen.* 1. *Pſ.* 33. *v* 6. *Act.* 4. 14. 17. *Col.* 1. *Heb.* 1. tũ etiã peculiariter Deus opere creationis, generi humano, & inprimis populo ſuo innoteſcere voluit: vt ꝑ Deo agnoſceretur & tãq̃ Deꝰ coleretur. *Ex.* 20. *Rõ.* 1. 20.

Mundus neque æternus nec à ſeipſo. Ac tenendum eſt hoc fundamentũ contra vanitatem non modò Manichæorũ, ſed etiã eorum qui mundi ſomniãrunt ęternitatem, aut eum ex atomis cõfluxiſſe, quin etiã plures & innumerabiles eſſe mundos, opinati ſunt, aut Deum ad cauſſas alligatum eſſe ſecundas, temerè ſibi perſuaſerunt.

Vnitas Dei & æternitas. Hunc vnum ſolum verum Deum *Iohã.* 17. æternũ eſſe Scriptura clamat *Gen.* 1. *v.* 33. *Exod.* 15. *v.* 18. *Hiob* 36. *v.* 26. *Pſal.* 45. *v.* 7. *Eſa.* 43. *v.* 10. *Dan.* 7. *v.* 14. *Rõ.* 16. *v.* 26. *Hebr.* 1. *v.* 8. *Apoc.* 1. *v.* 8. Eſſe *ſpiritum* (ſed increatũ) liquet, *Iohan.* 4. Eſſe *omnipotentem* & opera creationis atque conſeruationis teſtantur, & clarè dicitur *Geneſ.* 17. *verſ.* 1. *c.* 18. *verſ.* 14. *Num.* 11. *v.* 23. 1. *Reg.* 14. *v.* 6. *Hiob.* 42 *v.* 2. *Eſa.* 40. *v.* 10. *Zach.* 8. *v.* 6. *Mat.* 19. *v* 26. *Eph* 3. *v.* 20. *Apoc.* 1. *v.* 8. *c.* 16. *v.* 7. Eſſe *vbiq; totũ & incõpræhenſibilem* cum res ipſa docet, tum Pſal. 139. Sap. 1. *Eſa.*

1. Tim. 6. verſ. 17.

Omnipotentia Dei.

Omnipræſentia Dei.

Digitized by Google

Eſa.6.v.3.Ier.23.v.24.Amos9.v.2.Act.17.v.23. *Immutabilem eſſe* paſſim Scriptura inculcat *Num.23 verſ.39.Malach.3.verſ 6.Pſal.*102. *v.* 27.28. *Sapientiam Dei* & quod ſit *omniſcius*,tota rerum adminiſtratio arguit,& nominatim dicitur *Numer.* 12. *verſ.* 2. *Deut.*31. *verſ.*21.*Hiob.*28.*verſ* 24 *Pſal.*38.*verſ.*10.*Prouerb.* 24 *verſ.*12.*Matth.*21.*verſ.*2.*Act.*15.*verſ.* 8.*Ro* 8.*verſ.*27.1.*Theſſ.*2.*verſ.*4. *Hebr.*4 *verſ.* 13. *Apocal.*2.*verſ.*23.*Tim.*1.*verſ.*17.*Iuſtitiam, caſtitatem & veritatem Dei*, lex eius cuincit. vide etiam *Pſal.*19.119.*Et miſericordiâ Domini plena eſt terra,Pſal.*33.*verſ.*5 Quod inſuper cum infinitis Scripturæ locis,teſtatur miſſio Filii vnigeniti & tota Euangelii doctrina.Eſt denique *Deus agens liberrimũ*, Pſal. 115. v.3. Gubernat idem & ſuſtentat omnia,pro nutu volũtatis ſuæ, *Gen.*45.*v.*5. *Cap.*50. *v.*19.*Hiob.* 9.*v.*5. *Pſal.*103.*v.*19. *Eſa.*46.*v.*11.12 *Iohan.*5. *v.*17.*Rom.*9.*verſ.*20.*Heb.*1.*v.*3.*cap.*13.*verſ.*21.

Immutabilitas Dei. *Sapientia Dei.* *Caſtitas, Iuſtitia & veritas Dei.* *Miſericordia Dei.* *Actiones Dei.*

Et quamquã Deus *mentiri* & *ſeipsũ negare* non poteſt nec mori: non ideò tamẽ deſinit omniſcius eſſe & omnipotẽs: nã infirmitatis iſta ſunt, nõ alicuius potẽtiæ: Colligit deniq; Deus Eccleſiã ex genere humano, quia hoc potiſſimum fine illud creauit & ex eo quos vellet elegit, vt opere redẽptionis & defenſionis Eccleſiæ ſeſe patefaceret credẽtib. ad ſalutem. *Eſa.*26.*verſ.*3 *cap.*43.*verſ.*2. 10.13.21. *Cap.*4.6. *verſ.*34 *Ephe.*1. *v.*11.12 13.4.1.*Tim.* 2.*verſ.*3.4.*Rom.*8.*verſ.*29.30.

Deus non poteſt mentiri aut mori. *Collectio & conſeruatio Eccleſiæ.*

Accipitur autem vox *Dei* ac *Domini*, vnico vero Deo accommodata, in Scripturis, biſa-

Vox Dei & domini.

Digitized by Google

riam: aut ὀυσιωδῶς aut ὑποστατικῶς. Οὐσιωδῶς, de vnitate eſſentiæ & naturæ diuinæ: vt, *Deus eſt ſpiritus*, Iohan. 4. Sic pater Deus ac Dominus, Filius Deus ac Dominus, Spiritus ſanctus Deus ac Dominus: quia communis eſt eadem trium perſonarum eſsētia. ὑποστατικῶς autem accipitur, quum peculiarem denotat deitatis perſonam. Sic de DEO patre vngente Filium & Filio vncto, *Pſal.* 45. *Idcircò vnxit te, Deus, ô Deus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ac de Deo Patre Pſalm. 40. *Ecce venio*, inquit *Filius, in libro ſcriptum eſt de me, vt faciam, ô Deus, voluntatem tuam.* Rurſus de Filio *Act.* 20. *Eccleſiam Dei, quam proprio illo ſanguine acquiſiuit.* Ac de Spiritu ſancto Actor. 5. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.*

Eſſentia Dei. Et vocatur *eſſentia Dei*, Græce οὐσία, *ipſa deitas*, ſeu *natura diuina*: ſecundum quam, pater non eſt aliud quàm Filius & Spiritus ſanctus, ac vice verſa. Eſt enim, vt veteres loquuntur, οὐσία, τὸ κοινὸν καὶ ἀμέριστον καὶ ἀδιάστατον τῆς θείας φύσεως. Et hoc propriè ſignificat vox *Iehoua* & *Eheie*, Exod. 3. verſ. 14. Sit Deut. 6. *Audi Iſraël, Deus tuus Deus vnus eſt*. Iohan. 1. *Verbum erat apud Deum & Deus erat verbum*. Cap. 4. *Deus eſt ſpiritus.* Et Apocal. 1. verſ. 8. *Qui eſt, qui erat, qui venturus eſt Dominus Deus ille omnipotens.*

Perſona deitatis. Perſona verò, Græcè ὑπόστασις, σῶμα, ὑφιστάμενον (Occidentales πρόσωπον dixere) eſt ſubſiſtens in diuina natura, indiuiduum, viuum, intel-

intelligens, incommunicabile, non ſuſtentatum ab alio, nec pars alterius.Ità omnis plenitudo deitatis inhabitat in Chriſto σωματικῶς, Coloſſ. 2. verſ. 9.

Etſi verò Deus pater, ratione eſſentiæ non eſt aliud quam Filius aut Spiritus ſanctus: alius tamen eſt ab vtroque, id eſt, alia perſona. Nam Alivd, aliam naturam & eſſentiam innuit; nec in vllam deitatis perſonam competit. *Iohan. 10. verſ. 30. cap. 17. verſ. 22. 1. Iohan. 5. verſ. 7.* Alivs autem, aliam atque aliam, in eâdem deitate, ὑπόστασιν ſeu perſonam, ſignificat: ac de ſingulis deitatis perſonis, mutuo inter illas reſpectu, rectè ac piè dicitur. *Iohan. 5. verſ. 22 cap. 14. verſ. 16.* *Aliud & Alius.*

Cæterum quandò ſeorſim de perſona Filii Dei incarnati hæ voces, Alivs & Alivd vſurpantur: tunc Alivs adhuc perſonam denotat reſpectu Patris & Spiritus ſancti, in eâdem deitatis eſſentia, aliam: ſed Alivd, aliam, in Filii perſona, eſſentiam & naturam ſignificat, nunquam tamen ab altera diuulſam, ſed proprietatibus tantum peculiaribus diſtinctam. Sic in Chriſto eſt, aliud & aliud reſpectu diuerſæ, h. e. aut diuinę ſuæ aut humanæ naturæ: eſt .n. verè θεάνθρωπος. V. c. Chriſtus reſpectu ęterni patris eſt alius, quia perſona eſt alia: ſed non aliud, quia eiuſdem cum patre naturæ & idem Deus. At in ſemetipſo Chriſtus, aliud eſt & aliud: quia Deus & homo. Nec tamen

verbum Dei ſit, liquet huius rei certitudo ac veritas ex multis rerum argumentis efficaciſſimis.

I. *Certitudo S. Scripturæ.* Primum enim, quò quid antiquæ ſimplicitati vicinius & propius, eò quoque certius eſt. Nulla verò vſquam extat Scriptura libris Moſaicis vetuſtior, ipſam conditi mundi & ingentium Dei miraculorum hiſtoriam referentibus, Lucæ 16. *Moſen habent & prophetas, hos audiant, &c.*

II. Deinde ſancti prophetæ vno omnes ore, profitentur ſacram Scripturam eſſe verbum Dei: non vtique à ſemetipſis locuti, ſc. inſtinctu Spiritus ſancti. 2. *Pet.* 1.

III. Tertio, ipſe Dei Filius vnigenitus, dominus ac Saluator noſter Ieſus Chriſtus, idem aſtruit & confirmat. *Matth.* 13. ℣. 9. *Lucæ* 8. *verſ.* 11. *cap.* 24. *verſ.* 25. 27. *Iohan.* 5. *verſ.* 38. 39. & *cap.* 17. *verſ.* 17.

IIII. Quarto, hoc ipſum euincit inſuper ipſa experientia & rerum euentus: ſeu vis & veritas promiſſionum pariter & comminationum Scripturæ ſanctæ, ipſorumque vaticiniorum, nulla in parte fallentium. *Matth.* 24. *verſ.* 35. *Iohan.* 17. *verſ.* 17. 1. *Iohan.* 5. *verſ.* 10.

V. Quinto, huc facit, materia in ſacris literis propoſita ac pertractata. Docent enim illę ſapientiam verè cæleſtem, omni intellectui & rationi humanæ pręponderantem: adeò vt homo ψυχικὸς abſque illuminatione Spiritus ſancti haudquaquam eam percipiat.

Digitized by Google

cipiat. 1. *Cor. 2. verſ. 13. 14. Et profectò ita eſt,* inquit Cicero, *vt id habendum ſit antiquiſſimum ac Deo proximum, quod eſt optimum.*

Sexto, accedit & hæc vniuerſa, durabilis illa ſacræ Scripturæ perpetuitas: quod ea, nullius vnquam Antiochi aut Iuliani, adeoque nulla Diabolorum, rabie, aut hoſtium tyrannide vel ſęuitia (quantumuis extremè tentatum ſit) opprimi aut deleri, potuerit. VI. Septimo, cum hiſcè concurrit & congruit excellentia miraculorum, quibus eandem Scripturam Chriſtus ipſe, Moſes item, cum prophetis & Apoſtolis, conſolidarunt. VII. Vt verè beatus Auguſtinus de Doctr. Chriſt. lib. 1. cap. 37. *Titubat fides, ſi Scripturæ ſanctæ vacillet authoritas.*

Libri apocryphi.

Etſi verò non par eſt ratio omnium ſanctę Scripturæ librorum: ſiquidem *apocryphi* nonnulli (ab obſcuritate nimirum) vocantur, qui, etiamſi non ſint impii aut penitus ab Eccleſia reiecti, minus tamen euidentiæ ad comprobandos fidei articulos conferant: vt ſunt tertius & quartus Eſdræ, Tobias, precatio Manaſſis, Iudith, Baruch, additiones in tertium & duodecimum capita Danielis, item ſeptem capitum in Eſther & liber Sapientiæ, cum Eccleſiaſtico & tribus libris, Machabæorum: Attamen ſufficiunt reliqui omnes, *canonici* appellati, veteris teſtamenti libri, qui in Hebræo canone compræhenſi & Hebraicè conſcripti extent vniuerſi. Quẽadmodũ & N. teſta-

Libri Canonici.

Digitized by Google

menti omnes libri, indubitatum Dei verbũ ſunt: ſiue œcumenicus ſpectetur cõſenſus, ſiue rei veritas, ſiue miracula eam comprobantia.

Reuelatio interna: ſeu liber cordis.

Reſtat interna reuelatio per teſtimoniũ Spiritus ſancti: quam *librũ cordis* appellam⁹. Hunc librum nemo alteri mõſtrare aut prælegere poteſt, ſed vnuſquiſque credentium, ex interno Spiritus ſancti teſtimonio intra ſeſe & in ſeipſo, veram Dei cognitionem perſentiſcit ac perſpicit. Atque hæc eſt fides illa Electorum Dei, ex reuelatione Spiritus ſancti in corde ſuo, non minus quam ore externo, dicentium: *Credo in Deum*, &c. 1. *Cor.* 2. *verſ.* 10. 11. *Rom.* 8. *verſ.* 9. 14. 15. *Heb.* 11. *verſ.* 2. 3. 6. *Tit.* 1. *verſ.* 1.

Qui ſit Deus?

Luculenter igitur & irrefragabiliter demonſtratum eſt, eſſe Deum: ſed qui ſit, porrò diſpiciendum.

Quamquam verò nomen *Dei* eſt ineffabile, ac dici facilius poteſt, quid non ſit Deus, quam qui vel quid ſit, quoniam alius ille eſt ab omnibus creaturis, quarũ certè nulla Deus, attamen ſic ille in verbo ſuo ſe patefecit, quod ſit eſſentia ſpiritualis vnica, æterna, omnipotens, omniſcia, incõpræhenſibilis, vbique ſimul tota, immutabilis, immenſæ iuſtitiæ & miſericordiæ, verax, caſta, liberrima: qui eſt pater æternus, & coæternus eiuſdem patris Filius vnigenitus, qui in vnitatem æternæ ſuæ perſonæ humanam naturã, ſine omni labe peccati, indiſſolubiliter aſſum-

ſumpſit, & eſt Spiritus ſanctus à patre ac filio procedens: conditor, gubernator & cõſeruator omnium creaturarum, viſibilium, & inuiſibilium: colligẽs ex genere humano Eccleſiam, à qua agnoſcatur & colatur, & quam æterna beatitate coronet: ac econtrà impios iuſto iudicio condemnans.

Oculi, aures & brachium Dei.

Nec impedit, quo minus Deus eſſentia ſit ſpiritualis & immutabilis: quod Scriptura interdum oculos ei tribuit & aures & brachium, & manus atque pedes: quod itẽ pœnitudine eum duci, affirmet: nam illa ſunt cũcta per ἀνθρωποπάθειαν intelligenda: ne in hęreſin Anthropomorphitarum, Deo membra humana affingentiũ, incidamus. Etenim ꝓpter imbecillitatẽ noſtram, Scriptura more humano, nobiſcũ de Deo loquitur. Vbi prętereà tenendũ, *attributa Dei*, vt ſunt omniſcientia, omnipotẽtia, iuſtitia, miſericordia, veritas, &c. nequaquã eſſe accidentia, aut qualitates in Deo, ſed eſſentialia omnia: hoc eſt, ipſam Dei naturam & eſſentiam.

Anthropomorphitæ.

Attributa Dei.

Deus vnus.

Vnicam tamen hanc eſſe diuinam eſſentiam, ſeu vnum Deum, non plures: partim ratione, partim ſacræ Scripturæ teſtimoniis, probatur. Et ratione quidem, quod impoſſibile ſit, duo vel plura ſimul eſſe infinita: ſiquidem vbi vnum inciperet, alterum deſinere oporteret, & vnũ infinitum alii cedere. Scriptura autem copioſè & ſufficienter de vnitate Dei teſtificatur: *Ex. 20. verſ.*

Ratio.

Scriptura.

Digitized by Google

2. *Deut. 4. verſ. 7. 31. Et cap. 5. verſ. 6. cap. 6. verſ. 4. Pſ. 18. verſ. 32. Eſa. 42. verſ. 8. cap. 46. verſ. 9. Malach. 2. verſ. 10. 11. Rom. 3. verſ. 30. 1. Cor. 8. verſ. 5. 6. Eph. 4. verſ. 5. 6. &c.*

Obiectio Tritheitarum. Quod autem obiiciunt Tritheitæ: *Patrem eſſe Deum, Filium eſſe Deum, & ſimiliter Spiritum ſanctum: Atqui patrem, Filium ac Spiritum ſanctum eſſe tres: Ergo tres Deos, &c.* Ad illud reſponſio eſt perſpicua. Primo, quatuor in argumento eſſe terminos: ſiquidem propoſitio maior, de eſſentia & natura Dei, quæ vna tantum eſt trium perſonarum communis, loquitur: minor autem ſeu aſſumptio, non de natura, ſed de tribus diſtinctis perſonis & hypoſtaſibus intelligenda venit. Deinde, plus eſt in concluſione, quam in præmiſſis: quia ex trinitate hypoſtaſeon, triplicitas eſſentiæ inferri nequit. Sic autem rectè procederet argumentatio: *Pater, Filius & Spiritus ſanctus, vna ſunt & eadem eſſentia diuina, ſeu Deus vnus: Atqui Pater, Filius & Spiritus ſanctus tres perſonæ ſunt ſuis proprietatibus diſtinctæ. Ergo tres perſonæ diſtinctæ, ſunt vna eſſentia diuina ſeu vnus & idem Deus.*

Multi dii, quomodo? Et quandò Apoſtolus ait, 1. Cor. 8. *Multi ſunt dii ac multi Domini:* ὁμωνυμία in voce *dii* & *Domini,* obſeruãda eſt. Neq; .n. Apoſtolo ſermo eſt de iis qui naturâ ſint Deus ille ac dominus: ſicuti poſtea de vno DEO patre & vno Domino Chriſto, loquitur: Verum de iis potius, qui aut propter vocationis eminen-

nentiam *dii* appellantur, vt ſunt angeli, & prophetæ & magiſtratus legitimus. Ideò nimirum dicti *dii*, quod verbum Dei ad eos factum eſſet, interprete Chriſto, *Iohan.* 10. *verſ.* 35. 36. vide *Exod.* 7. *Ego te conſtitui Deũ Pharaonis.* Et 1. *Sam.* 28. *v.* 13. Item *Pſal.* 82. *Ego dixi, vos dii eſtis.* Aut dii dicuntur, opinione & ſuperſtitione hominum: de quibus ibidem Paulus: *Scimus idolum nihil eſſe in mundo, & nullum eſſe Deum alium, niſi vnum.* Quod ergo vel propter excellentem aliqui vocationem, vel hominum alii ſuperſtitione *dii* appellãtur: id vni vero Deo nil derogat. Exodi 20. *Non habebis* Deos *alienos.* Pſal. 86. *Non eſt ſimilis tui in diis.* Pſal. 96. *Dii gentium omnes, dæmonia.* Gal. 4. *Ignorantes Deum, ſeruiebant iis, qui naturâ dii non ſunt.*

Manichęi impii olim contendebant, duo eſſe principia coæterna, ſeu duos Deos: *bonum vnum*, & alterum *malum*. Ratiocinabãtur iſti ex natura relatiuorum, putantes nihil per ſe bonum dici poſſe vel cogitari niſi tantũ reſpectu mali: adeoq; ſine æterno malo nec æternum bonum poſſe conſtitui. Sed errabant dupliciter. Primo, quod Deũ relatiuè bonum, putarent: qui naturâ & eſſentiâ, per ſe bonus eſt, non reſpectiue. Nam Dei bonitas ipſius eſt æterna ſubſtantia, non aliqua in eo qualitas. Deinde, perperam ſtatuebant, naturam aliquam in ſeſe eſſe malam: quæ nulla vſquam eſt. Sed

Duo Manichæorum principia.

Digitized by Google

malitia, vbicumque in vllam cadit naturam, accidens malum, non vel natura vel ſubſtantia ipſa eſt: ſed accidens malum, inquam, naturam per ſe bonam corrumpens ac deprauans; vti peccatum in angelis & hominibus. Solum verò Deum, eſſe rerũ omnium principium, & creaturæ vniuerſę authorem, gubernatorem atq; conſeruatorem, cum Scriptura affirmat *Gen.* 1. *Pſ.* 33. *v* 6. *Act.* 4.14.17. *Col.* 1. *Heb.* 1. tũ etiã peculiariter Deus opere creationis, generi humano, & inprimis populo ſuo innoteſcere voluit: vt ꝓ Deo agnoſceretur & tãq̃ De⁹ coleretur. *Ex.* 20. *Rõ.* 1.20.

Mundus neque æternus nec à ſeipſo.

Ac tenendum eſt hoc fundamentũ contra vanitatem non modò Manichæorũ, ſed etiã eorum qui mundi ſomniárunt ęternitatem, aut eum ex atomis cõfluxiſſe, quin etiã plures & innumerabiles eſſe mundos, opinati ſunt, aut Deum ad cauſſas alligatum eſſe ſecundas, temerè ſibi perſuaſerunt.

Vnitas Dei & æternitas.

Hunc vnum ſolum verum Deum *Iohã.* 17. æternũ eſſe Scriptura clamat *Gen.* 1. *v.* 33. *Exod.* 15. *v.* 18. *Hiob* 36. *v.* 26. *Pſal.* 45. *v.* 7 *Eſa.* 43. *v.* 10. *Dan.* 7. *v.* 14. *Rõ.* 16. *v.* 26. *Hebr.* 1. *v.* 8. *Apoc.* 1. *v.* 8. Eſſe *ſpiritum* (ſed increatũ) liquet, *Iohan.* 4. Eſſe *omnipotentem* & opera creationis atque conſeruationis teſtantur, & clarè dicitur *Geneſ.* 17. *verſ.* 1. *c.* 18. *verſ.* 14. *Num.* 11. *v.* 23. 1. *Reg.* 14. *v.* 6. *Hiob.* 42 *v.* 2. *Eſa.* 40. *v.* 10. *Zach.* 8. *v.* 6. *Mat.* 19. *v* 26. *Eph* 3. *v.* 20. *Apoc.* 1. *v.* 8. *c.* 16. *v.* 7. Eſſe *vbiq; totũ & incõprehenſibilem* cum res ipſa docet, tum Pſal. 139. Sap. 1. *Eſa.*

1. Tim. 6. verſ. 17.

Omnipotentia Dei.

Omnipræſentia Dei.

Digitized by Google

Eſa.6.v.3.Ier.23.v.24.Amos 9.v.2.Act.17.v.23. *Immutabilem eſſe* paſſim Scriptura inculcat *Num.23 verſ.39.Malach.3.verſ 6.Pſal.102. v.27.28. Sapientiam Dei* & quod ſit *omniſcius*, tota rerum adminiſtratio arguit, & nominatim dicitur *Numer.12.verſ.2.Deut.31. verſ.21.Hiob.28.verſ 24 Pſal.38.verſ.10.Prouerb.24.verſ.12.Matth.21.verſ.2.Act.15.verſ. 8.Rō 8.verſ.27.1.Theſſ.2.verſ.4.Hebr.4 verſ. 13.Apocal.2.verſ.23.Tim.1.verſ.17.Iuſtitiam, caſtitatem & veritatem Dei*, lex eius euincit. vide etiam *Pſal.19.119.Et miſericordiā Domini plena eſt terra, Pſal.33.verſ.5* Quod inſuper cum infinitis Scripturæ locis, teſtatur miſſio Filii vnigeniti & tota Euangelii doctrina. Eſt denique *Deus agens liberrimū*, Pſal.115.v.3. Gubernat idem & ſuſtentat omnia, pro nutu volūtatis ſuæ, *Gen.45.v.5. Cap.50.v.19.Hiob. 9.v.5.Pſal.103.v.19.Eſa.46.v.11.12 Iohan.5. v.17.Rom.9.verſ.20.Heb.1.v.3.cap 13.verſ.21.*

Immutabilitas Dei.

Sapientia Dei.

Caſtitas, Iuſtitia & veritas Dei.

Miſericordia Dei.

Actiones Dei.

Et quamquā Deus *mentiri & ſeipſū negare* non poteſt nec mori: non ideò tamē deſinit omniſcius eſſe & omnipotēs: nā infirmitatis iſta ſunt, nō alicuius potētiæ: Colligit deniq; Deus Eccleſiā ex genere humano, quia hoc potiſſimum fine illud creauit & ex eo quos vellet elegit, vt opere redēptionis & defenſionis Eccleſiæ ſeſe patefaceret credētib. ad ſalutem. *Eſa.26.verſ.3 cap.43.verſ.2.10.13.21. Cap.4.6.verſ.34.Ephe.1.v.11.12 13.4.1.Tim. 2.verſ.3.4.Rom.8.verſ.29.30.*

Deus non poteſt mentiri aut mori.

Collectio & conſeruatio Eccleſiæ.

Vox Dei & domini.

Accipitur autem vox *Dei* ac *Domini*, vnico vero Deo accommodata, in Scripturis, biſa-

Digitized by Google

riam: aut οὐσιωδῶς aut ὑποστατικῶς. Οὐσιωδῶς, de vnitate eſſentiæ & naturæ diuinæ: vt, *Deus eſt ſpiritus*, Iohan. 4. Sic pater Deus ac Dominus, Filius Deus ac Dominus, Spiritus ſanctus Deus ac Dominus: quia communis eſt eadem trium perſonarum eſsētia. ὑποστατικῶς autem accipitur, quum peculiarem denotat deitatis perſonam. Sic de DEO patre vngente Filium & Filio vncto, *Pſal.* 45. *Idcircò vnxit te, Deus, ô Deus, oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.* Ac de Deo Patre Pſalm. 40. *Ecce venio*, inquit *Filius, in libro ſcriptum eſt de me, vt faciam, ô Deus, voluntatem tuam.* Rurſus de Filio *Act.* 20. *Eccleſiam Dei, quam proprio illo ſanguine acquiſiuit.* Ac de Spiritu ſancto Actor. 5. *Non es mentitus hominibus, ſed Deo.*

Eſſentia Dei. Et vocatur *eſſentia Dei*, Græce οὐσία, *ipſa deitas*, ſeu *natura diuina*: ſecundum quam, pater non eſt aliud quàm Filius & Spiritus ſanctus, ac vice verſa. Eſt enim, vt veteres loquuntur, οὐσία, τὸ κοινὸν καὶ ἀμέριστον καὶ ἀδιάστατον τῆς θείας φύσεως. Et hoc propriè ſignificat vox *Iehoua* & *Eheie*, Exod. 3. verſ. 14. Sit Deut. 6. *Audi Iſraël, Deus tuus Deus vnus eſt.* Iohan. 1. *Verbum erat apud Deum & Deus erat verbum.* Cap. 4. *Deus eſt ſpiritus.* Et Apocal. 1. verſ. 8. *Qui eſt, qui erat, qui venturus eſt Dominus Deus ille omnipotens.*

Perſona deitatis. Perſona verò, Græcè ὑπόστασις, σῶμα, ὑφιστάμενον (Occidentales πρόσωπον dixere) eſt ſubſiſtens in diuina natura, indiuiduum, viuum, intel-

intelligens, incommunicabile, non ſuſtentatum ab alio, nec pars alterius. Ità omnis plenitudo deitatis inhabitat in Chriſto σωματικῶς, Coloſſ. 2. verſ. 9.

Etſi verò Deus pater, ratione eſſentiæ non eſt aliud quam Filius aut Spiritus ſanctus: alius tamen eſt ab vtroque, id eſt, alia perſona. Nam Alivd, aliam naturam & eſſentiam innuit; nec in vllam deitatis perſonam competit. *Iohan.* 10. *verſ.* 30. *cap.* 17. *verſ.* 22. 1. *Iohan.* 5. *verſ.* 7. Alivs autem, aliam atque aliam, in eâdem deitate, ὑπόστασιν ſeu perſonam, ſignificat: ac de ſingulis deitatis perſonis, mutuo inter illas reſpectu, rectè ac piè dicitur. *Iohan.* 5. *verſ.* 22 *cap.* 14. *verſ.* 16. *Aliud & Alius.*

Cæterum quandò ſeorſim de perſona Filii Dei incarnati hæ voces, Alivs & Alivd vſurpantur: tunc Alivs adhuc perſonam denotat reſpectu Patris & Spiritus ſancti, in eâdem deitatis eſſentia, aliam: ſed Alivd, aliam, in Filii perſona, eſſentiam & naturam ſignificat, nunquam tamen ab altera diuulſam, ſed proprietatibus tantum peculiaribus diſtinctam. Sic in Chriſto eſt, aliud & aliud reſpectu diuerſæ, h. e. aut diuinę ſuæ aut humanæ naturæ: eſt .n. verè θεάνθρωπος. V. c. Chriſt⁹ reſpectu ęterni patris eſt alius, quia perſona eſt alia: ſed non aliud, quia eiuſdem cum patre naturæ & idem Deus. At in ſemetipſo Chriſtus, aliud eſt & aliud: quia Deus & homo. Nec tamen

in ſemetipſo eſt alius aut alius (vti falsò Neſtorius) quia Deus & homo Chriſtus, vna & eadem ὑπόστασις ac perſona. Ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus: quia ſimul vtrumq; eſt in eadem hypoſtaſi, ſaluis vtriusque naturæ proprietatibus. Et eadem ratione differunt, in Chriſto, ac diuerſum denotant, VNVS & VNVM: itẽ TOTVS ac TOTVM. *Damaſcenus lib. 3. c. 6. 7. 14. 15. 16. Auguſtinus in Iohan. Tract. 110. Et contra Maximinum Arianum lib. 2. c. 12. Cyrillus de fide & incarnatione vnigeniti, cap. 4.*

Vnus & Vnum, Totus ac Totum.

Perſonæ tres.

Porrò ὑποστάσεις & perſonæ deitatis, hoc eſt in vna & eadem eſſentia diuina, ſunt hæ tres: Nimirum, Pater, Filius, & Spiritus ſanctus. *Matth.* 28. *Marci* 16. 1. *Iohan.* 5. Cui myſterio probando, irrefragabilis ſacrarum literarum abundè ſufficit authoritas. *Geneſ.* 1. *verſ.* 12. 3. *cap.* 18. tres apparẽt Abrahamo, qui vnum tamen dominum agnoſcit & adorat. *Pſal.* 33. *verſ.* 6. *Et Prouerb.* 30. *verſ.* 4. expreſſa tum Dei tum Filii eius fit mẽtio. In nouo autem Teſtamento quam euidentiſſimè idem traditur myſterium. *Matth.* 3. in Baptiſmo Chriſti Domini ad Iordanem, Deus Pater cælitus clamat, *Hic eſt filius meus dilectus*, &c. Filius verò incarnatus coram adſtat: Et Spiritus ſanctus apparet in ſpecie columbę. *Matth.* 28. Baptiſmus Eccleſiæ adminiſtrãdus præcipitur, in nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti. *Iohan.* 14. Filius Dei ait: *Rogabo Patrem, & alium paracletum* mit-

S. Trinitatis probatio.

mittet vobis. Gal.4. *Deus miſit ſpiritum Filii ſui in corda veſtra.* 1. Iohan. 5. *Tres ſunt qui teſtimonium perhibent in cælo, Pater, λόγος & Spiritus ſanctus, & hi tres vnum ſunt.* Hinc Gregorius Nazianzenus Homil. de ſacro Baptiſmate: *Non poſſum cogitare vnum quin trium fulgore mox circumfundar: nec tria poſſum diſcernere, quin ſubitò ad vnũ referar.*

Quamquam verò fidei merum hoc eſt negotium, nec vlla rationis humanæ ſagacitate inueſtigari poteſt: ſiquidem hic cæca & muta eſt omnis humana ratio & Philoſophia, nec in rebus creatis Deo quicquam eſt ſimile: exemplis tamen è natura petitis, hoc vnum vtcumque adumbratur, quod vni alicui rei, abſq; vlla ſeparatione, tria ſimul ineſſe inter ſe diſtincta, poſſint. Vt, in vno Sole, viſibile eſt corpus & lux ſeu ſplendor, & calor: quæ tres vtiq; ſunt res diſtinctæ. Beatus Auguſtinus plerunq; ſimilitudinem animæ humanæ adducit, in qua vnâ, ſimul ſubſiſtũt, intellectus, memoria ac voluntas. Sic Platonem in Deo agnouiſſe νοῦν λόγον & πνεῦμα annotârunt *Johannes Becanus* de ciuitate Dei, & verè generoſus ille *Pleſſeus* de veritate doctrinę Chriſtianę. Apertiſſimè autẽ Scriptura dicit: *Hi tres vnum ſunt*, 1. Iohan. 5.

Has autem tres ὑποστάσεις in vnitate naturæ & eſſentiæ diuinæ diſtinctas eſſe, triplici conſtat ratione. Primo, ex operibus illarum ad intra appellatis. Nam dicuntur opera *Perſonarum deitatis diſtinctio.*

Digitized by Google

Opera Dei, ad intra & extra.

Dei ad intrà, quæ vnius cuiuſque perſonæ deitatis tam ſunt propria, vt nulli alii communicari poſſint: idque in actionibus internis perſonarum inter ſeſe. Vt gignere eſt ſolius patris : vnigenitum eſſe, ſolius Filii; procedere à Patre & Filio, ſolius Spiritus ſancti. Opera verò Dei ad extra vocantur, quæcumque ſancta Trinitas in vel erga creaturas & earum reſpectu agit & operatur. Quò pertinet creatio, gubernatio & conſeruatio totius vniuerſi, itemque electio, redemtio, vocatio, ſanctificatio Eccleſiæ. Quæ vniuerſa & ſingula, vt alia id genus plurima, ſunt, reſpectu perſonarum deitatis, indiuiſa, hoc eſt, Patris, Filii & Spiritus ſancti, communia.

DE DEO PATRE.

IAm Patrē Domini noſtri Ieſu Chriſti, verum eſſe Deum, tam euidens & extra omnem controuerſiam poſitum eſt, vt neq; Iudæi nec Turcæ nec vlli vnquam hæretici, potuerint ire inficias.

Idem verò euincitur ex generatione Filii ac miſſione Spiritus ſancti: quæ non niſi ſolius Dei ſunt opera. Itemque ex opere creationis & ſuſtentationis totius vniuerſi. *Gen.* 1.*verſ.*1. *Rom.*1.*verſ.* 20. Præterea ab eius omnipotentia, è Symbolo Apoſtolorum, & *Geneſ.*17.*verſ.*1. Denique ex ipſius Filii Dei & A-

Digitized by Google

& Apoſtolorum teſtimoniis. *Johann.*1.℣.18. *cap.*5.℣.18.*cap.*13.℣.3.*cap.*20.℣.17. Vnde toties pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, *Deus* appellatur. *Act.*4.℣.24.27.*Roman.*15.℣.6. 1. *Cor.*1.℣.9.*cap.*8.℣.5.6. 2.*Cor.*11.℣.31. *Galat.* 4.℣.6.

Dicitur autem ille Pater duplici reſpectu: partim, videl. vnigeniti filii, partim omnium porrò credentium. Reſpectu Filii vnigeniti pater propriiſſimè dicitur, quia hunc ipſe genuit, opere ad intra ſibi ſoli proprio, *Heb.* 1.℣.5. *Rom.*1.℣.3. *Hebr.*2.℣.5.6.7.8. Hinc beatus Auguſt. in Io. Tract.21. *nunquam Chriſtum dixiſſe*, ait, *ſi patrem alloqueretur, Pater noſter, ſed Pater meus. Ad ceteros autem credentes, Pater veſter.* Nimirum, vt coniungeret ſecum fideles in υἱοθεσίᾳ, & nihilominus inter ſe & illos diſtingueret. Ac præterea dicit: *Vnum nos eſſe vult in ſe: vnum verò, patrem & ſe.* *Duplex paternitatis ratio, ſeu reſpectus.*

Eſt tamen & Pater Ieſu Chriſti, omnium ſimul pater credentium, propter regenerationem eorum & collatam ex gratia υἱοθεσίαν: quia illi, per Chriſtum, gratis, in filios Dei fide recepti & adoptati ſunt. Quod ſic explicat Chryſoſtomus in Iohann. cap. 3. Homil.25. *Natiuitatem hanc, non ſecundum ſubſtantiam, ſed ſecundum honorem & gratiam intellige.* Et Auguſtinus in Iohan. Tract.21. *Nō ſicut Chriſti pater, ita & noſter pater.* Ille enim Filius æqualis Patri, ille æternus cum patre patriq; coæternus: nos autem facti per

Digitized by Google

Filium, adoptati per vnicum. Atq; hoc reſpectu & ſenſu, nō modò perſona patris, verùm etiam ipſe Filius cum Spiritu S. Pater noſter dicitur *Mat.c.6.c.23.v.9.* Et inuocatur in oratione dominica tota Trinitas, ſub nomine patris noſtri, qui ſit in cælis.

DE FILIO DEI.

QVod autem & æterni patris filius vnigenitus, patri coeſſentialis & coęqualis, adeóq; verus Deus exiſtat, multis rerum argumentis probatur.

Primò, ab eius æternitate: *quia egreſſus eius ab æterno eſt*, Mich.5.v.2. ac *pater æternitatis* dicitur, Eſa. 9. verſ. 6. Sic, *in principio erat Verbum*, Iohan.1. non igitur eſſe cœpit, ſcil. ante principium & in principio iam extitit, & per conſequens, ab æterno. vide *Apocal.*1. *v.*8.11

Secundò, à paterna generatione, in hunc modum: Deus pater nunquam ſine Filio, & nunquam non pater fuit: ergo coæternum habet ex æterna generatione, Filium. Huc & illud pertinet; quod Deus pater, nō, niſi plenè ac perfectè, generet: quò magis Patri Filius coeſſentialis eſt & coęqualis: Atq; hoc vtitur argumento beatus Auguſtinus contra Maximinum Arianum.

Tertiò, à pronunciatis Scripturæ ſanctæ, quod videl. Filius Dei, abſolutè dicatur *Iehoua*,

ua, Deus atq; *Dominus. Eſa.9.v.6.Ier.23.v.6. Pſal.45.verſ.8.Act.20.verſ.28.Iohan.1.verſ.1. Rom.1.v.4. 1.Iohan.5.v.20.*

Quartò, ab attributis naturæ diuinæ, Filio aſſignatis. Eſt n. ille *ſcrutator cordiũ*, Ioh.2.v.25. Mat.9.v.2.4. Eſt *omnipotens*, Heb.1.v.3. Eſt *infinitæ naturæ* & ſecundum deitatem ſuam *vbiq; præſens*, Ioh.3.v.13. Eſt *ſolus bonus*, Mat.19.v.17. *Habet vitam a ſemetipſo ſicut pater*, Ioh.5.v.26.

Quintò, ab eo, quod ſit *imago Dei inuiſibilis*: quæ neq; plena eſſet, nec vera ac perfecta, niſi patri eſſet æqualis. *Phil.2.v.6.Coloſ.1.v.15.Hebr.1.v.3.*

Sextò, ab operib. diuinis: quia Filius *Dei conditor eſt & conſeruator totius vniuerſi*, *Ioh.1.Col.1.v.15.Heb.1.v.3.* Idẽ *omnia gubernat*, *Ioh.5.v.17. Remittit peccata*, Mat.9.v.6. *Confert Spiritum S.* Ioh.14.v.26.c.16.v.7.c.20.v.22. *Reſuſcitat mortuos*, Matth.11.Ioh.11.Marc.5.Luc.7. 1.Cor.15.v.22. Iohan.5.v.21. *Imperat mari & ventis*, Matth.8.v.27. Huc referri inſuper debent, illuſtria Chriſti miracula vniuerſa, *Ioh.10.v.37.*

Septimò, ab honore & cultu, Filio Dei debito. Ioh.5.v.23. *Vt honorent Filiũ ſicut patrem. Nec Deus gloriam ſuam dat alteri*, Eſ.42. Cum igitur gloriam ſuam det Filio, *Ioh.17.* eundem ſecum eſſe verum Deũ, teſtificatur. Nam & *quæcunq; Pater habet*, inquit Filius, *mea ſunt*, Ioh.16. Vnde non minus in Filium, quam in patrem, fides collocãda, requiritur.

Johann. 3. ℣. 16. 18. 36. *cap.* 6. ℣. 40. *cap.* 14. ℣. 1. Item *Filius inuocandus eſt*, *Hebr.* 1. ℣. 6. *Johann.* 20. ℣. 28. *Actor.* 7. ℣. 59. *Philipp.* 2. ℣. 10. 11.

1. **Obiectio Arrianorum.** Hîc obiiciunt Arriani illud Iohan. 14. *Pater*, inquit Chriſtus, *maior me eſt*. Ex quo colligunt, eum patri non eſſe æqualem. Sed reſpondet Athanaſius in Symbolo: *Æqualis patri ſecundùm diuinitatem: minor patre ſecundùm humanitatem.* Et hoc totum inſuper accipiendum eſt, de miſſione Filii ad complendum ſtatum humiliationis.

2. **Obiectio.** Inſtât iſti: *Filius nõ poteſt operari à ſemetipſo*, Io. 5. ℣. 19. 20. Verùm non magis Filii diuinitatem hoc imminuit, quod videlicet, ſine patre nihil agat, quã ipſi⁹ patris, quod & omnia ipſe per Filium operetur, & ſine Filio nihil. Ideo autem Filius ait, *ſe nihil à ſemetipſo facere, niſi quod videat patrẽ facere: vt probet, ſe idem cum patre facere*, ac proinde verum Deum eſſe.

3. **Obiectio.** Quod autem Filius ipſe dicit Iohan. 12. ℣. 44. *Qui credit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me:* illud explicat luculenter, cum Iohan. 14. ait: *Creditis in Deum, & in me credite.* Quin etiam omnem tollit ambiguitatem, ſtatim ſubiiciens, loco à me citato: *Qui me videt, eum videt qui miſit me*: Et quãdo inquit: *Qui credit in me, non credit in me:* particula NON, corrigentis eſt, nõ ſimpliciter inficiantis. Quemadmodum & *Marci* 9. ℣. 37. ait: *Qui me exceperit, non me excipit, ſed*
eum

eum qui miſit me: id eſt, non me ſolum, ſed etiam patrem. Sic, qui in Filium credit, non in ſolum credit Filium, ſed in patrem ſimul: ne Deo patri debitus eripiatur honor. Sic Iohan. 8. ℣. 16. *Ego non ſum ſolus, ſed ego & Pater qui miſit me.*

DE SPIRITV SANCTO.

PRincipio vocis notatio penſiculanda. *Spiritus*, enim aut ſubſtantiam ſignificat, aut qualitatem. *Subſtantiam*, quoties vel naturam vel perſonam denotat: *qualitatem* verò, cum pro affectu, aut pro virtute ac vehementia rei alicuius ponitur. Vt, *Spiritus fidei, timoris, fortitudinis, compunctionis, lenitatis*, &c. 2. *Cor*. 4. ℣. 13. 2. *Timoth*. 1. ℣. 7. *Romanor*. 11. ℣. 8. *Galat*. 6. ℣. 1. Sic etiam hæc vox accipitur de donis Spiritus ſancti & affectibus in homine ſpiritualibus, animiq; internis motibus. Galat. 3. ℣. 3. *cum ſpiritu cœperitis, carne conſummamini*? 1. Cor. 14. ℣. 12. *quandoquidem ſpiritus ambitis*. 1. Theſs. 5. ℣. 19. *ſpiritum ne extinguite*. 1. Iohann. 4. ℣. 1. *probate ſpiritus*, &c. *Vox ſpiritus.*

Porrò, cum *ſubſtantiam* ſignificat ſpiritus: aut creata eſt illa, aut increata. *Creatus ſpiritus*, quamlibet naturam denotat nõ corpoream. Sic angeli boni pariter ac mali dicuntur *ſpiritus*, Pſalm. 104. v. 4. 1. Reg. 22. *Spiritus creatus aut increatus.*

BIBLIOTECA NAZ. ROMANA VITTORIO EMANUELE

v.22.Item anima hominis appellatur *ſpiritus*, 1.Cor.2.v.11.c.5.v.3.Ac denique *Ventus*, Ioh. 3.verſ.8.

Spiritus increatus, aut eſſentia, aut perſona deitatis.

Quando autem de ſubſtantia increata vox *ſpiritus* vſurpatur: duobus modis intelligenda eſt. Aut enim naturam & eſſentiã deitatis trium eius perſonarum communem ſignificat, vt Ioh.4. *Deus eſt ſpiritus.*

Aut propriiſſimè & peculiariter, tertiam in deitate perſonam indicat, quę eſt Spiritus S. Atq; tunc vel nudè *ſpiritus*, vel *Spiritus S.* plærunq;, vel *Spiritus Dei, Spiritus Filii, Spiritus veritatis*, & ſic deinceps, dicitur. *Luc.*11. *verſ.*13. *Matth.*28. *verſ.*19. *Act.*5. *verſ.*3. 9.32. *cap.*6. *verſ.*5.10. *cap.*7. *v.*51. *Galat.*3. *verſ.*2. Et 1. *Iohan.*5. *verſ.*7. *Epiſtola Iudæ verſ.*19. *Apoc.* 2. *verſ.*7.

Quis Spiritus ſanctus?

Hic *increatus Spiritus ſanctus*, ſecundum eſſentiam & naturam, vnus & idem eſt æternus verus Deus cum Patre & Filio coadorãdus & conglorificandus: ſecũdum verò perſonam, alius eſt à Patre & Filio, certis, ab vtroq;, proprietatibus perſonalibus, in eadẽ tamen indiuiſa deitate, dignoſcendus. Hiſce, nimirũ, quod à Patre & Filio procedat, quod in ſpecie columbæ apparuerit Iohanni Baptiſtæ, & poſtea in Apoſtolis, ſpecie linguarum diſſectarum, inſtar ignis, Iohan.1. *Act.*2.

Spiritus ſancti deitas.

Deitas verò Spiritus S. probatur ſeptem potiſſimum inuictis rationibus.

Primò, ab æternitate, quod vid. procedat à Patre & Filio: qui, ſine hac proceſſione Spiritus

ritus ſancti, ab æternitate inde, nũquam extiterunt.

Secundò, à pronunciatis Scripturæ S. *Act.5.v.4. Mat.28.v.19.*

Tertiò, ab omnipræſentia, *Pſal.139.v.7. Sap.1.*

Quartò, ab opere creationis, *Geneſ.1.v.2. Pſal.33.v.6.*

Quintò, à cultu inuocationis. *Mat.28.v.19.& 2.Cor.13.v.13.*

Sextò, ab eo, quod ſcrutetur profunditatem deitatis, 1.*Cor.2.v* 10. Item quod vngat & mittat Filium Dei, vt eſt *Pſal.45.v.8.& Eſ.61.v.1.*

Septimò, ab inhabitatione templi Dei, 1.*Cor.6.v.19.* 2.*Cor.6.v.19.* Hic enim honos nulli competit, niſi ſoli & vni vero Deo. Vide Auguſtinum cõtra *Maximinum Arianũ*, Item in Epiſtola *ad Maximum medicum ex Arianiſmo conuerſum.*

Hiſce ergo & ſimilib. argumentis conuincuntur erroris & reiiciuntur, Iudæi primum & Sabelliani, tres deitatis perſonas negãtes & vix nuda agnoſcentes nomina: quẽadmodũ etiã Anabaptiſtæ pleriq; omnes. Deinde Tritheitę pro trib. perſonis, tres deos cõminiſcentes. Tum Ariani, cum tota ſua factione veteri ac recenti, Filio Dei & Spiritu S. deitatem derogantes. Deniq; & Macedoniani πνευματομάχοι dicti: quos refutauit Synodus Cõſtantinopolitana prima œcumenica, ſub Impp. Valẽtiniano & Gratiano, circiter annũ

Iudæi & Sabelliani.

Tritheitæ.

Ariani.

Macedoniani.

333.habita. *Theodoretus lib.5.cap.9.* Quô pertinet etiam Synodus Nicæna ſub Conſtantino magno contra Arium habita anno 330. & reliquæ œcumenicæ ſynodi omnes. Impius etiam & blaſphemus fuit error Donati Aphri, *Filium patre minorem, & Filio Spiritum ſanctum*, contendentis. *Auguſtinus de hæreſib. ad Quod vult Deum.*

Donatus Afer.

Sanctificatio

Dicitur autem hic *Spiritus ſanctificationis* Roman.1.verſ.4. 1.Cor.6.verſ.11. 2.Theſs.2.verſ.13. Qua quidem vna & ſolenni voce, totum fermè Spiritus ſancti officium exprimitur. Compræhendit enim ſanctificatio ante omnia *miſſionem Spiritus ſancti* ad Eccleſiam & credentes: deinde *habitationem & manſionem in illis*: tertiò eiuſdem *dona & operationes.* Sic enim ferè doctrina de Spiritu S. diſtribuitur *Joh.14.16. & 1.Cor.12.*

Miſſio Spiritus ſancti.

Mittitur ille à Patre & Filio; quod nõ modo Apoſtolis cum ante, tum pręcipuè poſt Chriſti ad cęlos aſcenſionem obtigit, & quidem ipſo pentecoſtes die miraculosè: Verũ etiã ab initio inde mundi ad finẽ vſq; cunctis & ſingulis electis ac fidelibus, confertur. *Luc.11.v.13. Joh.7.v.38.39. Ioh.14.v.17.18. 26.cap.16 v.13.cap.20.v.22. Act.2.v.4. Sap.5. verſ.32.*

Inhabitatio & manſio Spiritus S.

Dicendum hîc prætereа de manſione & habitatione Spiritus S. in electis; ac de eiuſdem donis & operationibus.

Inhabitatio & manſio eius, eſt ſancta illa copula & nexus indiſſolubilis Spiritus ſancti,

Digitized by Google

Electos & credentes omnes, cum Deo patre & Filio & cum ſemetipſo, coniungentis, & ſic vnientis, vt nunquam ab eis recedat, nec ipſi à Deo auellantur in æternum, *Ioh.* 14. *v.* 16.17. 1 *Iohan.* 2. *verſ.*27. *cap* 3. *verſ.*9. *Eſa.*30. *verſ.*20.

Dona verò Spiritus ſancti, varia illa chariſmata dicuntur, quibus Eccleſiam ille exornat: quod genus recenſentur aliqua multa, 1. *Cor.*12. *v.*8.9.10. *Dona Spiritus ſancti.*

Vbi notandum inter *manſionem* & *dona Spiritus ſancti* hoc eſſe diſcriminis: ꝙ dona quidem varia etiam non renatis conferantur, & cum ab iſtis, tum aliquando etiam ab Electis, iterum auferantur. Vt patet in Bileamo pſeudopropheta & Saul rege, & Cajapha, vaticinantibus: item in edentibus miracula hypocritis *Matth.*7. Et in Samſone amittente ac tandem recipiente Spiritum Dei ſeu donum fortitudinis & roboris. *Iudic.*16. *Diſcrimen inter dona & manſionem Spiritus S.*

Sed *manſio & inhabitatio Spiritus ſancti*, cū donis immediatè ad ſalutem neceſſariis coniuncta, electorum & verè credentium duntaxat eſt propria, & in iiſdem perpetua & irreuocabilis. *Iohann.*14. *verſ.* 16.17. *Roman.* 8. *verſ.*9.

Operationes deniq; Spiritus ſancti appellantur & ἐνεργήματα, quęcunque in hominibus ipſe efficit, ſiue piis ſiue impiis. Nec mirum aut nouum videri cuiquam debet, quod operetur etiam aliquid Spiritus Dei in im- *Operationes Spiritus S. Impii.*

Digitized by Google

piis. Nam Chriſtus ipſe inquit Iohan. 16. *Arguet mundum de peccato, de iuſtitia ac de iudicio.* Et vaticinatum eſſe per impium Cajapham, ſcimus omnes, quemadmodum olim per Bileamum. Sed in piis & credẽtiũ Eccleſia res demum operatur ſaluberrimas.

Pii. Primò namque in Eccleſia conſeruat, prouehit & efficax reddit verbi diuini miniſterium. *Ioh.* 14. *v.* 26. *Rom* 15. *v.* 19.

Deinde regenerat electos & per fidem in Chriſtum eos efficit filios Dei, conferens eis fidem & reſipiſcentiam ab operib. mortuis, *Ioh.* 3. *v.* 3. *Rom.* 8. *v.* 14. 15.

Tum effundit in corda fidelium dilectionem Dei Patris & Filii, *Rom.* 5. *v.* 5.

Præterea obſignat eis hæreditatem cæleſtem, *Rom.* 8, *v.* 16, 2. *Cor.* 1, *v.* 22, *Eph.* 4, *v.* 30.

Accẽdit inſuper & adiuuat piorum preces, *Rom.* 8. ℣. 15. 26. *Gal.* 4. ℣. 6.

Adhæc, conſolatur & erigit afflictos, ac largitur illis perſeuerantiã in vera fide ac pietate, *Mat.* 10, *v.* 20, *Io.* 16, *v.* 13, 20, *Rõ.* 8, *v.* 26.

Vnit etiam cum Deo, & inter ſeſeipſos, credentes, vt ſint vnum corpus, ſub capite Chriſto, 1. *Cor.* 6, *v.* 17, *Ioh.* 17, *v.* 21, *&* 23, 1. *Cor.* 12, *verſ.* 18.

Quinetiam viuificat & vegetat vniuerſũ corpus Eccleſiæ, & ſingula eius membra, 1. *Cor.* 12, *v.* 11, 12, 13, *Epheſ.* 4, *v.* 3, 4, 7.

Poſtremò, exornat eos (vti antea dictum) variis & vtiliſſimis donis, ad communem vſum & ædificationem Eccleſiæ, pertinentib. 1. *Cor.* 12, *v.* 7, 8.

Hæc

Digitized by Google

Hæc hactenus de vero Deo, & eius cognitione dicta, in primis neceſſaria ſunt: partim vt ipſum rectè colamus; partim vt & ipſi ſaluemur. Solus enim pro Deo agnoſcendus & colendus eſt, in ſpiritu & veritate, *Deut. 6, v. 13. Io. 4. v. 23, 24.* Et in hac Dei cognitione poſita eſt credentium ſalus ac vita æterna, *Ioh. 17. v. 13.*

Colendus autem Deus eſt, cognitione eius percepta, fide, inuocatione & noua obœdiētia: h. e. internis & externis ab ipſo pręſcriptis veræ pietatis exercitiis. *De cultu Dei.*

Ac fide primum Deus colitur, ſi reb. fidē accendentib. & confirmantib frequenter ac ſedulò vtamur: hoc eſt, verbo Dei, Sacramētis & piis precib. & iis cūctis, in quib. publica & priuata rei diuinæ exercitia cōſiſtunt. Deinde, ſi non modò verus & vnus Deus, pater, filius & Spiritus S. cognoſcatur, ſed etiā certò confidamus, quod bene ille nobis cupiat propter Chriſtum, in quo facta eſt reconciliatio: quodq; tum in hac vita paternè ſit nos conſeruaturus, tum ſuo tempore ad æternam & beatam illam, tranſlaturus. *Fides.* 1, 2,

Ad inuocationem requiritur, vt eâdem fide Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti, vnà cum Filio & Spiritu S. in ſpiritu ac veritate, fiduciâ Filii, & in nomine eius, adoremus: eidemq; pro vniuerſis beneficiis gratias agamus. *Ioh. 4. v. 16. Pſal. 50. Iac. c. 1.* *Inuocatio.*

Colēdus deniq; Deus eſt, nouâ obœdientiâ: quę res plurimas in ſeſe complectitur. *Noua obœdientia.*

Digitized by Google

Opera cultus Primò, interna & externa cultus diuini
Euitatio peccati. opera. *Ex cap.20.v.10.* Secundò, vt uitentur peccata, *Eſa.1.Ierem.6. 1.Iohan.2.verſ.*
Sanctitas. *4.15.16.17.* Tertiò, vt ſanctitati ſtudeamus & iuſtitiæ, in tota vitæ noſtræ conuerſatione, *1.Petr.1. 1.Theſ.4.*
Profeſſio fidei. Quartò, vt nomen Chriſti & veritatem doctrinæ eius conſtanter profiteamur. *Rom.10. Matth.10. Philip.2.*
Patientia. Quintò, vt crucem à Deo impoſitam patienter feramus. *Matth.10. Roman.5.verſ.3.4.5. Iohann.16.verſ.1.2.3.4. 1.Cor.4.verſ.11.12.13. 2.Corinth.4.verſ.16.17.cap.6.verſ.4.5.6.7.8.*
Perſeuerãtia. *9.10. 1.Tim.2.verſ.5.6.12.* Sextò, vt in vera ſpe inconcuſsè perſeueremus. *Matth.10.*
Opera miſericordia. *Romanor.5.verſ.3.4.5.* Septimò, vt opera Chriſtianæ dilectionis ac miſericordiæ, proximo (tam inimicis quàm amicis) iuxta Chriſti præſcriptum debita, præſtemus. *Matth.5. Luc.6.*

Cultus Dei externus. Hæc iam cuncta & ſingula exactius penſiculanda & quid qualiaque ſint, declarandum eſt. Sunt igitur externa cultus diuini opera, propemodú ea cuncta, quæ ſabbathi ſanctificatio complectitur. Vt, verbi doctrina & auditio, legitimus Sacramentorum vſus, publici congreſſus Eccleſiaſtici, preces, ieiunia, fraternæ commonefactiones, ac tota tum Eccleſiaſtica diſciplina, tum obœdientia ſacro miniſterio debita.
Cultus internus. Interea verò ſunt potiſſimum, fides, timor Dei, humilitas, reſipiſcentia, patientia, gratitudo, ſpes, perſeuerantia, dilectio item & cuncti pii

motus

Digitized by Google

motus in corde & mente, renatorum hominum. Quæ breuiſſimis explicanda, ſiue definitionibus ſiue deſcriptionibus, veniunt.

Fides eſt, non tantum notitia, qua firmiter aſſentimur omnibus, quæ Deus nobis in verbo ſuo patefecit, ſed etiam certa fiducia à Spiritu ſancto per Euangelium in cordibus noſtris accenſa, qua in Deo acquieſcimus, certò ſtatuentes, non ſolùm aliis credentibus, ſed nobis quoque ipſis, remiſſionem peccatorum, æternam iuſtitiam & vitam donatam eſſe: idque gratuita Dei miſericordia propter vnius Chriſti meritum. *Quid fides?*

Timor Dei, eſt proueniens ex fide in Chriſtum, cor hominis per cōſolationem Euangelii erigente, humilis & verecunda expauefactio, ad ſenſum & agnitionem irę Dei aduerſus peccata, cum dilectione Dei ac ſtudio reuerenter ei obediendi & vitandi omnē offenſionis occaſionem. *Quid timor Dei?*

Reſipiſcentia eſt mortificatio carnis & viuificatio Spiritus: vel conuerſio hominis ad Deum per fidem in Chriſtum & nouam obœdientiam. *Quid reſipiſcentia?*

Patientia eſt fructus Spiritus ſancti, ſeu opus bonum ex fide profectum, huc impellens ac ducens hominis animum, vt in tolerandis aduerſis Deo obœdiat, nil faciēs propter dolorem contra mandata eius, nec de liberatione certa ambigens. *Quid patientia?*

Gratitudo eſt virtus, humilitatem, veritatem & iuſticiam in ſeſe continens: vt homo *Quid gratitudo?*

Digitized by Google

partim ſuam ipſius agnoſcat & fateatur miſeriam: partim fide apprehendat, & quoquo modo extollat prædicetque Dei beneficia: partim deniq; erga illum viciſſim, ad omne pium obſequium, ſeſe promptum ac paratum, offerat.

Quid ſpes?

Spes eſt expectatio certa ꝓmiſſæ ſimul vitæ ęternę gratis propter Chriſtũ obtinendę, ſimulq; mitigationis præſentium ærumnarum, quatenus nimirum ea ſit vtilis & neceſſaria, iuxta beneplacitum Dei.

Quid perſeuerantia?

Perſeuerantia eſt ſancta illa animi conſtãtia, fortitudo inuicta & robur Spiritus S. in credentibus, qua ſuperantur omnis generis tentationes, pericula ac difficultates huius vitę: ne qua ratione illi ruãt in deſperationẽ, aut à Deo diuellantur.

Quid dilectio proximi?

Proximi deniq; dilectio & opera Chriſtianæ miſericordiæ cõſiſtunt in eo, vt propter
1, Deum in fide Domini noſtri Ieſu Chriſti, ex vera animi commiſeratione, primùm ordo ſuperiorum tàm Eccleſiaſtici quàm Politici & œconomici ſtatus, erga inferiores, & hi viciſſim erga illum, vtrinq; in timore Dei, iuxta præſcriptum verbi eius, officium ſedulò fa-
2, ciant: Deinde condonet quiſq; proximo offenſas toto pectore & integrè, ſynceriterq;
3, reconcilietur: tertiò verè afficiatur quilibet aliorum calamitatib. ex animo eis condolẽs,
4, & meliora exoptans: deniq; & precib. conſilio, opeq; omnigena, pro virib. promptiſſimè ipſis ſubueniens atq; inſeruiens.

CAPVT

CAP. II.

De Prædeſtinatione ac prouidentia Dei.

DIctum eſt hucuſque de Deo & vera eius cognitione, fide, atq; cultu. Quia verò tenenda hoc fine illa ſunt, vt animæ ſalutem homo conſequatur, *Iohan.* 17. & 1. *Petr.* 1. idcirco iam diſpiciendum, quo pacto ſalus hominis ex Deo dependeat. Atque hîc primo omnium occurrit *Prædeſtinatio Dei.* Nam *quos præſciuit & prædeſtinauit conformes imaginis filii ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit, & quos vocauit, hos & iuſtificauit, quos autem iuſtificauit, illos & glorificauit,* Romanor. 8. & Epheſ. 1. *Sicut elegit nos in ipſo ante conſtitutionem mundi, vt eſſemus ſancti & inculpati in conſpectu eius, in charitate, qui prædeſtinauit nos in filios adoptione per Ieſum Chriſtum in ſeſe ſecundum beneplacitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratioſos nos fecit in illo dilecto: in quo habemus redemptionem per ſanguinem eius, remiſſionem peccatorum, ſecundum diuitias illas gratiæ eius.*

Hic ante omnia termini in Scripturis vſitati explicandi ſunt, vt voces ipſæ intelligantur. 1. Deinde cautiones quædam adhibendæ; 2. tũ Prędeſtinationis declaranda doctrina & 3. eiuſdem vſus: ac deniq; cum eadem pugnantia, 4. perſtringenda.

Voces hæ potiſſimum ſeſe offerunt, *Præſcientia Dei, prædeſtinatio, Electio, reprobatio, induratio, prouidentia*: quibus annumeratur & *Permiſſio*.

I. *Præſcientia.*

Præſcientia autem Græcè πρόγνωσις dicta, eſt ipſa in Deo, rerum cunctarum & ſingularum ſiue neceſſariarum ſiue in libertate creaturæ cuiuſcunque poſitarum, ſiue præteritarum ſiue præſentium, ſiue futurarum, ſiue denique nec exiſtentium, neque futurarum, cum vniuerſis euentibus, certa & infallibilis cognitio ſeu prænotio ac præuiſio. *Rom.* 8. *v.*29.*cap.*11.*v.*2. *Iohan.*13.*v.*11.18.*c.*6. *v.*6 64. *Sap.*9.*verſ.*11.*Iohan.*16.*verſ.*30.*Eccl.*23.*verſ.* 27.*Daniel* 13.*verſ.*42. 1.*Reg.*8.*verſ.*39.*Pſalm.* 44.*v.*22. *Rom.*11.*v.*33. *Act.*15.*v.*18. *Rom.*11.*v.* 33. 1.*Pet.* 1.*v.*11. 20.*Matth.*6.10.& *c.*26. *v.*33. 2.*Reg.*13.*v.*19.

Prædeſtinatio.

Prædeſtinatio ſeu pręfinitio προορισμὸς, propriè ipſa eſt, eligendi ſaluandos, ſanctiſſima Dei voluntas: hoc eſt, æternum eius conſilium, decretum, propoſitũ & εὐδοκία, quosnam & quotquot, ei placuit, ex genere humano, poſt Adæ lapſum itidem ab æterno præſcitum, gratis per Chriſtum & in ipſo, eligendi ad ſalutem. *Rom.*8.*v.*28.29.30.*c.*9.*v.* 11.*Act.*13.*v.*48.

Electio.

Hic *Electio* ἐκλογὴ, eſt voluntatis Dei miſericordiſſimę illius, atque adeo prędeſtinationis iam dictæ, coæterna, conſtans & immota, ad ipſos ſaluandos, directio & applicatio. *Rom.*9.*v.*11.*c.*11.*v.*5.

Econ-

Digitized by Google

Ecõtrà *Reprobatio* ſeu reiectio, ἀπωσμὸς eſt æternum & iuſtum Dei iudicium, lataque ſententia, de impiis deſerendis & condemnandis. Aliâs ἀποβολή. *Romanorum* 11. *verſ.* 2. 15. *Reprobatio.*

Induratio, σκληρότης, eſt, quãdo Deus homines impios, iuſto ſuo iudicio, progredi ſinit in peccatis & malitia, eorum denique contumaciam, variis occaſionibus ad emendationem eos incitantibus magis magiſq; reddit conſpicuam & inexcuſabilem, donec per impœnitentiam finalem ruant ad interitum. *Eſa.* 6. *verſ.* 9. *Exod.* 7. *verſ.* 3. *Rom.* 2. *verſic.* 5. *capit.* 1. *v.* 24. 25. *capit.* 9. *verſic.* 18. Auguſtinus ad Xiſtum, ait: *Nec obdurat Deus impertiendo malitiam, ſed non impertiendo gratiam, ſicut nec digni ſunt.* *Induratio.*

Prouidentia vero, ſeu πρόνοια, eſt æterna, ſancta, ſapientiſſima & omnipotens Dei vis illa, qua res vniuerſas, & quicquid omninò vbicũque fit, iuxta liberrimam ſuam voluntatem ac beneplacitum, optimè & immutabiliter gubernat, dirigit, moderatur & conſeruat: non modò in actione ſua generali appellatâ, quoad vniuerſam creaturam, verumetiam in actione dicta ſpeciali, quoad præſcientiam, prædeſtinationem, electionem, redemptionem, vocationem, iuſtificationem, ſanctificationẽ, defenſionẽ & glorificationem Eccleſiæ. *Geneſis* 22. *verſic.* 8. *Matth.* 6. 10. *Lucæ* 12. *verſic.* 32. *Rom.* 8. *v.* 28. 29. 1. *Pet.* 5. *verſ.* 7. *Prouidentia.*

Permiſſio diuina quid? Ad *Permiſſionem* denique quod attinet, extat hæc vox Tobiæ 2. verſ.12. Lucæ 8. v.32. Act.16.v.7.& Hebr 6. verſ. 3. Eſt autem hæc *permiſſio*, in ipſa Dei prouidētia ſimul incluſa & compræhenſa, nec aliter intelligenda, quam quod ſit iuſta hominis peccātis deſertio, quo minus peccata iſtius à Deo impediantur: licet illa ei minimè interim probentur: ità prorſus, vt à Deo ſit permiſſio, non autem peccatum. *Permiſſio Epicurea.* Neq; enim Epicurea permiſſio hic eſt cogitanda, quaſi verò Deus aut peccata velit, aut ea non curet. Nec peccādi neceſſitatem homini Deus imponit, etiamſi propter certas cauſſas conniueat, & pro ſua iuſtitia, ſapientia ac bonitate ad finem optimum, vel peſſimas impiorum actiones, dirigat. *Permiſſio diuina, & hominum peccata, nō ſunt idem.* Sunt igitur permiſſio Dei, & peccata hominum, res diuerſiſſimæ. Illa quidem ad malum pœnæ pertinet, eſtque ab ipſo Deo, iuſta & bona: hæc autem referuntur ad malum culpæ, nec à Deo ſunt, ſcilicet à Diabolo & malis hominib. Quēadmodum enim in primis parentibus noſtris libera & ſpōtanea ad malum inclinatio, iuſtā deſertionis, hoc eſt, ſubtracti auxilii diuini, ſtatutis alioqui in prima illa integritate, promiſſi & arbore vitæ confirmati, merebatur pœnam: ſic hodieque peccata Deus peccatis punit, in hominibus profanis, tradens eos in mentem reprobam (*Rom.*1.) in deſideria & immunditias & paſſiones ignominiæ: non vtique inſpirando eis malitiam, ſed loco pœ-

næ,

Digitized by Google

næ, eos peccantes deſerendo. *Illud enim tradere* (inquit Auguſtinus) *iudicii, & iuſtitiæ opus eſt.*

Diximus autem cautelis quibuſdam in huius negotii tractatione, opus fore. In his prima omnium eſt, nequid in re tāta temerè affirmetur aut negetur ſine expreſſis & indubitatis Scripturę ſanctę teſtimoniis. Nam fallaces admodum ſunt vel ſpecioſiſſimæ hominū ratiocinationes. *Deut.* 12. *v. vltimo, Prouerb.* 25. *verſ.* 23. *Roman.* 11. *verſic.* 2. 23. *cap.* 12. *verſ.* 3. 16. Altera eſt, ne confundantur inter ſeſe, conſiliū Dei de hominis creatione, & conſiliū de eiuſdē redēptione. Tertia itidē pernecessaria eſt, nimirum, vt probè diſtinguatur inter ſtatū hominis ante lapsū & poſt lapsū. Siquidē ille ad creationē, hic verò demū ad redēptionē, adeoq; electionem & reprobationē, referendus eſt, & nō econtrà. Patebit autē vſus harum obſeruationum in progreſſu cùm latius, tum luculentius.

II. 1. 2. 3.

Conſilium Dei in hominis creatione.

Iam conſilium Dei, quoad hominis creationē, diſertè exprimitur *Geneſ.* 1. *verſ.* 26, his verbis: *Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundū ſimilitudinē noſtram, qui dominentur in piſces maris & volatilia cœli, & in iumēta & in vniuerſam terrā, atq; in omnia reptilia reptātia ſuper terram.* Hoc omne autem intelligi debet de ſtatu primę integritatis humanę, ante lapsū. In quo ſtatu imaginē Dei homo geſſit, iuxta ipſi⁹ Dei cōſiliū, vt tota hominis natura voluntati diuinę conformis eſſet. Nā

verè ſuit homo ſapiens, iuſtus, purus, ſanctus & plenè beatus: quæ quidem vniuerſa, imago Dei complectitur. Atque tunc nec dum electione ille indiguit aut redemptione, nec reprobatio ei fuit extimeſcēda. Ac potuit ſanè in hac perſiſtere dignitate, quam liberrime, ſi vellet: partim ſufficientibus in creatione ſui, viribus ac facultate ornatus, partim auxilii diuini certitudine ſuſfultus, & externo arboris vitæ ſignaculo. *Geneſ.* 1. 2. Ita demum (vt rectè ſtatuit Auguſtinus Enchiridii cap. 104.) è paradiſo terrena, ſuo tempore, ad cæleſtem illam tranſlatus fuiſſet, abſque vllo dolore aut mortis periculo: idque ex dignitate ac beatitate primę ſuæ conditionis. Neque enim in his terris (licèt nunquam tellus maledicta fuiſſet) perpetuò manſurus erat homo, ſicuti neque mundum hunc ità Deus creauerat, vt in ęternum perduraret. *Matth.* 24. *Eſa.* 51. *Pſal.* 102. *verſic.* 26. 27. 2. *Pet.* 3. Quod autem poſt lapſum etiam Hanoch & Helias viui in cælum tranſlati ſunt; id non beneficio primæ conditionis (qua vterque iam tum exciderant) eis obtigit, ſed propter electionem & redemptionem. Atque hęc quidem de conſilio creationis humanæ & ſtatus eiuſdē ante lapſum, conſideratio, apprimè eſt neceſſaria, vt ſciamus & intelligamus hominē ad imaginem Dei creatum primitus fuiſſe, hoc eſt, ad ſanctitatem, vitam ac beatitatem, & quidē (vt cætera cuncta) valde bonum: nequa-

Adamus etiam ſi lapſus non eſſet; non tamē in terrena Paradiſo manſiſſet.

Hanoch & Helias viui in cælum aſſumpti.

Digitized by Google

quaquã verò ad lapſum peccati vel ad mortẽ «
& exitium ęternum. Alioqui non ad Dei, ſed «
ipſius Diaboli (ſi ſecus) imaginem fuiſſet cõ- «
ditus: idq; ſorte tantò deteriori, quanto ma- «
gis Adæ lapſus ad communem totius poſte- «
ritatis calamitatem ſeſe extendit. «

Nunc ad conſilium Dei de redemptione humana, priori coæternum: ſicuti in Deo nil prius aut poſterius eſt, ſed omnia opera ſua nota ei ſunt ab æterno, *Actor.* 15. Hoc demum Dei cõſilium collimabat ad lapſum hominis, ab ipſo præuiſum, & ſic declaratur Geneſ. 3. *cap. Semen mulieris conteret caput ſerpentis.* Et Iohann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu patris, enarrauit nobis.* Item cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum illum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed vitam æternam habeat.* Sic Matth. 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, hunc audite.* Marci 10. *Non venit Filius hominis, vt ſibi miniſtraretur, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.* 1. Corinth. 1. *Ex ipſo eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus nobis eſt ſapientia á Deo, iuſtitiaque, & ſanctificatio & redemptio.* Coloſſ. 1. *Quoniam in eo placuit patri, vt omnis plenitudo inhabitaret, & pace per ſanguinem crucis eius facta per eum reconciliaret omnia ſibi per eum, tum quæ in terra, tum quæ in cælis.* Ibidem hoc ipſum

Conſilium Dei de redemptione hominis.

vocat Apoſtolus, *myſterium abſconditum à ſeculis & ætatibus, nunc autem patefactum ſanctis Dei.* Vide inſuper *Rom.8.verſ.2.3.Et cap.5.verſ.8.cap.9.verſ.11.* Hoc omne Dei conſilium expoſuerat Paulus Epheſiis Act. 20. quò pertinet totum porrò primũ caput Epiſtolæ eius ad eoſdem. Et hoc ipſum Dei conſiliũ prædicante & baptizante Iohanne, Phariſæi & Scribæ repudiarunt, *Lucæ* 7. vide etiam *Marci* 10. *verſ.* 33. *Lucæ* 18. *verſ.* 32.33. *Iohan.* 3. *verſic.* 4.15.16.17. *cap.* 10. *verſic.* 9.11. 14.25.

Hoc ergo cõſilium Dei, vt propriè reſpicit ad ſtatum corruptionis humanæ poſt lapſum: ità ad electionem & reprobationem ęternam pertinet. Nam Deus vno & eodem intuitu ſimul ab ęterno, vt hominis creationẽ, ità eiuſdẽ lapſum, præſciuerat, adeoq; remedium in Chriſto Filio ſuo, itidẽ ab ęterno, decreuerat & præparauerat: ſicuti in illo electi ſunt ante iacta mundi fundamẽta, quicunque credunt & ſaluantur. *Epheſ.*1.

Hoc probè notãdum, ne electionem aut reprobationem vel ad creationem hominis, vel ad ſtatum eius ante lapſum, detorqueamus: ſed ad redemptionẽ & ſtatum hominis deprauati, pertinere, ſciamus. Ideò namque ab æterno Deus, quos voluit, elegit, vt ex lapſu eos redimeret, in integrum reſtitueret ac ſeruaret.

Quô pertinet illud Auguſtini de prędeſt. Dei, cap.3. *Prædeſtinatio non fieret, niſi oſtenſio fu-*

Digitized by Google

cto futura eſſet, quam offenſionem qui præſciuit eſſe, offenſionis vltionem (vt iuſtus iudex) *prædeſtinauit*, &c. Nunc ad ipſam accedamus doctrinam. Vulgò ſub voce *Prædeſtinationis*, *Electio* comprǣhenditur & *Reprobatio*. De vtraque *igitur ſeorſim tractatio* ſuſcipienda.

DE ELECTIONE.

III.

DOcent ſacræ literę, Deum ab ęterno, pro immenſa ſua miſericordia, ex lapſo genere humano, quoſdã gratis per filium ſuũ vnigenitum & in ipſo, à peccatis & æterna pœna liberare, adeoque ſaluare conſtituiſſe. *Epheſ.1.verſic.4.5.* Quod ſic tamen intelligendum non eſt, quaſi propter præuiſæ in eis fidei & pietatis meritum futurum, illos elegerit præ cæteris: Verum gratis propter Filium elegit eos, vt & fidem eis conferret & ad verã pietatem ipſos perduceret. *Epheſ. 1.verſic 6.cap.2.verſ.9.Act.13.verſ.*48. Non igitur Electio ex fide aut bonis operibus hominum: ſed hæc potius ex electione Dei, ne quis glorietur niſi in Domino. 1.*Cor.*3.4. *Epheſ.*2.

Non ex fide eſt electio, ſcilicet illa ex hac.

Cęterum, *quos Deus elegit, hos etiam vocauit & iuſtificauit*, &c. Ita fit, *vt quemadmodũ credens* (iuxta beatum Auguſtinum) *ſcit ſe credere: ſic electi cognoſcant certò ſe electos eſſe*. Deus enim largitur eis Spiritum ſanctum,

Quomodo cognoſcatur electio?

quem ſecum retinent habitantem, & à quo in vera fide per verbi diuini auditum, illuminantur & conſeruantur, & qui per fidei ac ꝓmiſſionū Euangelii conſolationē, vnà cū ſpiritu illorū, teſtificatur, eos filios eſſe & hæredes Dei, *Ioha* 1. *Ro*. 8. 2 *Cor* 1. *v*. 22. *Epheſ*. 4. *v*. 30. 1. *Iohan*. 2. *v*. 27 Hæc igitur interna cōſolatio eſt illis firmiſſimum electionis ſuæ ſigillum, in quo tuti acquieſcāt: nec vel impiè ambigant, vel de reb. nō patefactis, inquirūt ſcrupuloſius: verum promiſſionib. verbi expreſſis, mordicus inhæreant. 2. Pet. 1. v. 19. Iohan. 6. verſ. 40. 19.

Fides electionem certò ſequitur.

Etſi vero omnes verè credētes in Chriſtū electi ſunt: nō ideò tamē omnes electi ſtatim credunt. Quid enim dicemus de nondū vel vocatis vel natis? Certò autē Electi omnes & vocandi & credituri ſunt: pro quibus, etiam nec dum credentibus Chriſtus orat *Iohā*. 17. Et *Iohann*. 10. de gentilitate dicit, ſe *alias habere oues quas etiā ſit adducturus*. Nequaquā ergo, qui in verbi diuini veritate nondum ſatis inſtituti & cōfirmati ſunt, electionis ſuę ſpē abiicient. Siquidē non vno omnes Electi momento vocantur & illuminantur: ſed exactè tamen articulos temporis oportuni Deus benigniſſimus computat, negligens neminem. *Iohan*. 6. *verſ*. 37. 39. *cap*. 10. *verſ*. 16. 28. *cap*. 13. *verſ*. 18. *c*. 16 *v*. 12. Quapropter nemo ſpem gratiæ diuinæ abiiciat: *Dominus enim nouit quinam ſint ſui*, 2. Tim. 2. verſ. 19. Et 2. Corinth. 6. ait: *Tempore accepto exaudi-*

Conſolatio pro iis qui necdum ſentiunt electionem.

Digitized by Google

audiui te, & in die ſalutis adiuui te. Item Hebr. 13. *Non te deſeram neque derelinquam.* Quicũq; igitur ſeriò de ſalute ſunt ſolliciti, ac veram fidem exoptant, Deumq; rectè cognoſcere & inuocare, deſiderant; illi cuncti & ſinguli iam tum fiduciæ tantum adepti ſunt, vt ſuſpirare & anhelare ad Dei miſericordiam poſſint. Quare iamtũ in ſeipſis certã electionis ſuæ notã & argumẽtum euidẽs perſentiſcunt, donec fide creſcente corroborentur. Idque tàm certò quã verè Chriſtus ait Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ſaturabuntur.* Et cap. 7. *Quærite & inuenietis, petite & accipietis, pulſate & aperietur vobis.* Cap. 11. *Venite ad me omnes quotquot laboratis & onerati eſtis & ego refocillabo vos,* Cap. 12. *Arũdinem quaſſatam non confringet, nec linum fumigans extinguet, vſque dum proferat iudicium ad victoriam.* Et propoſuit nobis Deus admiranda ineffabilis clementiæ ſuæ exempla, in Manaſſe rege, & Nebucadnezare, muliere item Samaritana, & Maria Magdalena, Zachæo, Paulo, latrone in cruce conuerſo, & Iudæis quam plurimis, *Actor.* 2. 4. gentilibus verò innumeris adhuc lucrifactis. Quæ tamen ad excuſandum hypocritarum & prophanorũ hominum ſecuritatẽ pertrahenda nullo modo ſunt. Probè enim Deus nouit quinam ſeriò agant, aut qui ipſum tentent. Sed inſeruire hæc ſolummodò debent anxiis conſcientiis, vt excutia-

Exempla admirabilis clementiæ Dei.

Prophanitas & hypocriſis inexcuſabilis eſt.

tur ex animis diffidentiæ ac deſperationis, quælibet ſiue occaſio ſiue materia. Dicit enim Dominus: *Viuo ego, nolo mortē peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat*, Ezech. 18. v. 33.

Electio merè eſt gratuita. Conſtat itaq; gratuitam verè ac merè eſſe Dei electionem, adeoq; certam, vt nunquā fallat credentes: idque eò magis, quod non pendeat ex hominum dignitate vel meritis. Vnica namq; eius cauſſa eſt εὐδοκία voluntatis Dei: pro immenſa ſua miſericordia, in Chriſto Ieſu, hominibus quam optimè cupientis. *Epheſ.* 1. *Matth.* 11. *Lucæ* 10. Nullum verò ex parte hominum, meritum interuenit; alioqui gratia non foret gratia. *Rom.* 11. *Epheſ.* 2.

Cur non omnes electi ſint. Cur autem non omnes Deus elegerit; iſta nimium eſt curioſa & audax quæſtio. Neque enim Deus eſt vt homo, cum quo vel ſit contendendum, vel qui teneatur rationē reddere omnium quæ facit, *Hiob.* 33. & 37. *verſic.* 23. Hinc Auguſtinus ad Xiſtum: *Cur Deus illum potius quam illum liberet, ſcrutetur, qui poteſt, iudiciorum eius tam magnum profundū: verūtamen caueat præcipitiū.* Et huc propriè (non aliô) Paulina reſpicit diſputatio *Rom.* 9. 10. 11. Vbi nō de reprobationis (vt volunt aliqui) cauſſa, ſed potius de cauſſa electionis tractatio ſuſcipitur præcipua: ac reprobationis non ex profeſſo, ſed vix obiter ac per cōparationē ex antitheſi,

fit

fit mentio. Verus autē rei ſtatus is eſt, & quęſtio principalis. Probare vult Apoſtolus, hominē, corā Deo, merè gratis, per fidem in Chriſtum abſque legis operibus, iuſtificari. Oſtēdit ergo totius rei fundamentum, in eo, quod iuſtificādi priuſquam vel mundus extaret vel ipſi eſſent antequam viuere, nedū quicquā operari aut promereri poſſent, ſola Dei bonitate & voluntatis eius εὐδοκίᾳ prædeſtinati & electi, ab æterno fuerint. *Status diſputationis Paulinæ Rō. 9.10.11.*

Quod ipſum vt perſpicuè quibuſuis ob oculos proponat & explicet, hanc mouet quęſtionem: Cùm omnes homines, in communi ſtatu deprauationis, ab æterno Deus intuitus fuerit, & iuſtè perdere omnes potuerit: cur aliquos præ cæteris ad ſalutem elegerit, & quid meriti aut prærogatiuæ in illis inuenerit? Cur prætulerit Iſmaëli Iſacum? Cur præ Eſauo dilexerit Iacobum? Etenim in vtero matris conſiderati vterque erant æquè rei. Cur abiecta bona Iſraëlis parte inſtar maris arenæ, reliquias duntaxat ſeruet? Hîc reſpondet, vt in omnibus quidem, tota videlic. maſſa corrupta, condemnationis inuenta materia, ſic nullū tamen in quoquam gratiæ aut electionis meritum fuiſſe repertum; ſed hanc duntaxat eſſe εὐδοκίαν Dei, & voluntatis eius miſericordiſſimæ propoſitum, de quo nemini, aut nullæ creaturę, rationem reddere teneatur. Nec interim vllam apud Deum eſſe iniuſtitiam; qui, cum de ſuo quod vult elargitur, quibus

vult, haud cuiquam faciat iniuriam. Quò minus bonitati eius quiſquam ſuccenſere, vel aliis eam inuidere, nullo prætextu poſſit aut debeat. Sicut neq; conqueri poſſunt, qui pro reatu ſuo ac merito iuſtè à Deo reiecti puniuntur. Cōcludit ergo, vt quiſpiā iuſtificetur per fidē & ſaluetur, id non fieri ratiōne meriti aut operū, ſed gratuita Dei miſericordia. Nō hoc eſſe volentis aut currentis cuiuſquam hominis opus. Itē, voluntati Dei (nimirū tam iuſtæ quam miſericordi) reſiſtere neminē poſſe: figulum habere poteſtatē in lutum. Et voluiſſe Deum notam facere iram ac potentiam ſuam in vaſis iræ ad interitum deſtinatis atque præparatis, quæ multa interim ſuſtineat lōganimitate: vt & notas faceret diuitias glorię ſuæ in vaſa miſericordię quę pręparauerit ad gloriā. Hiſce cōſtitutis, ad propoſitū de ſolius fidei gratuita iuſtificatione, redit, concludens, iuſtitiā eos excidere, quicunq; ex lege & eius operibus illam quærant, & non ex fide tantum. *Quid ergo dicemus?* Inquit. *Quòd gentes non ſectantes iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam verò ex fide: Iſraël autem ſectans legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis. Offenderunt enim in lapidem offenſionis*, &c. Poſtea prolixè per totum caput decimum & vndecimum, in eandē ſententiā diſſerens de reiectis Iudæis & vocatis gentibus, dum pōderat ab vna parte ſummā Dei gra-

gratiam & miſericordiam, ab altera iudiciorum eius iuſtitiam & ſeueritatem, quæ vtrinque omnem rationis humanæ captum ſuperant, totam abrumpit diſputationem, exclamatione illa: *O profunditas diuitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei! quàm incomprehenſibilia iudicia eius & imperueſtigabiles viæ eius!* &c.

Reprobi de facta ſibi iniuria cõqueri non poſsũt.

Porrò reprobi nullo iure conqueri poſsũt, ſe neglectos eſſe. Cõſcii namque ſibi ſunt, quod non modò in peccatis concepti & nati, ſed etiam increduli & inobedientes ſeu contumaces & impœnitentes ſint. Nec verò Deus cuiquam impio nedum refractario, ad miſericordiam obſtrictus eſt; ſed miſeretur gratis & liberrimè quorum vult. *Hic enim iudicia Dei abyſſus ingens,* Pſ.36. *Et miſericordia Dei, quod nõ cõſumpti ſim⁹ vniuerſi:* Thr.3.

An Deus acceptator perſonarum?

Hìc moueri ſolet quæſtio, quia Deus quoſdam eligens cum rei ſunt omnes, æqualibus non tribuat æqualia, annon igitur ſit προσωπολήπτης? Ac reſpondetur, quod nullo modo, *Act.*10 *Rõ.*2.*v.*11. 1.*Pet.*1.*v.*17. Nã προσωπολήπτης eſt is, qui contra iuſtitiam æqualibus inæqualia tribuit. Deus aũt ſiue miſericorditer ſaluet electos, ſiue reprobos damnet ſeueriter, iuſtiſſimè ſemper agit. Miſerendo quidem: ſiquidem Filius eius vnigenitus (in quo facta eſt electio) morte ſua pro peccatis electorum ſufficiens perſoluit ἀντίλυτρον. Damnando, ſimiliter iuſte agit, quippè cum ἀναπολόγητοι ſint omnes, & naturâ filii iræ, *Rom.*2. *Epheſ.*2. Neque enim Deus (vt perſæpè

Quis προσωποληπτης?

Permiſſio diuina quid? Ad *Permiſſionem* denique quod attinet, extat hæc vox Tobiæ 2. verſ.12. Lucæ 8.v.32. Act.16.v.7.& Hebr 6. verſ. 3. Eſt autem hæc *permiſſio*, in ipſa Dei prouidẽtia ſimul incluſa & comprahenſa, nec aliter intelligenda, quam quod ſit iuſta hominis peccãtis deſertio, quo minus peccata iſtius à Deo impediantur: licet illa ei minimè interim probentur: ità prorſus, vt à Deo ſit permiſſio, non autem peccatum. *Permiſſio Epicurea.* Neq; enim Epicurea permiſſio hic eſt cogitanda, quaſi verò Deus aut peccata velit, aut ea non curet. Nec peccãdi neceſſitatem homini Deus imponit, etiamſi propter certas cauſſas conniueat, & pro ſua iuſtitia, ſapientia ac bonitate ad finem optimum, vel peſſimas impiorum actiones, dirigat. *Permiſſio diuina, & hominum peccata, nõ ſunt idem.* Sunt igitur permiſſio Dei, & peccata hominum, res diuerſiſſimæ. Illa quidem ad malum pœnæ pertinet, eſtque ab ipſo Deo, iuſta & bona: hæc autem referuntur ad malum culpæ, nec à Deo ſunt, ſcilicet à Diabolo & malis hominib. Quẽadmodum enim in primis parentibus noſtris libera & ſpõtanea ad malum inclinatio, iuſtã deſertionis, hoc eſt, ſubtracti auxilii diuini, ſtatutis alioqui in prima illa integritate, promiſſi & arbore vitæ confirmati, merebatur pœnam: ſic hodieque peccata Deus peccatis punit, in hominibus profanis, tradens eos in mentem reprobam (*Rom.*1.) in deſideria & immunditias & paſſiones ignominiæ: non vtique inſpirando eis malitiam, ſed loco pœnæ,

næ, eos peccantes deſerendo. *Illud enim tradere* (inquit Auguſtinus) *iudicii, & iuſtitiæ opus eſt.*

Diximus autem cautelis quibuſdam in huius negotii tractatione, opus fore. In his II.
prima omnium eſt, nequid in re tãta temerè 1.
affirmetur aut negetur ſine expreſſis & indubitatis Scripturę ſanctę teſtimoniis. Nam fallaces admodum ſunt vel ſpecioſiſſimæ hominũ ratiocinationes. *Deut.* 12. *v. vltimo, Prouerb.* 25. *verſ.* 23. *Roman.* 11. *verſic.* 2. 23. *cap.*
12. *verſ.* 3. 16. Altera eſt, ne confundantur 2.
inter ſeſe, conſiliũ Dei de hominis creatione, & conſiliũ de eiuſdẽ redẽptione. Tertia 3.
itidẽ pernecesſaria eſt, nimirum, vt probè diſtinguatur inter ſtatũ hominis ante lapsũ & poſt lapsũ. Siquidẽ ille ad creationẽ, hic verò demũ ad redẽptionẽ, adeoq; electionem & reprobationẽ, referendus eſt, & nõ econtrà. Patebit autẽ vſus harum obſeruationum in progreſſu cùm latius, tum luculentius.

Conſilium Dei in hominis creatione.

Iam conſilium Dei, quoad hominis creationẽ, diſertè exprimitur *Geneſ.* 1. *verſ.* 26, his verbis: *Faciamus hominem in imagine noſtra, ſecundũ ſimilitudinẽ noſtram, qui dominentur in piſces maris & volatilia cœli, & in iumẽta & in vniuerſam terrã, atq; in omnia reptilia reptãtia ſuper terram.* Hoc omne autem intelligi debet de ſtatu primę integritatis humanę, ante lapsũ. In quo ſtatu imaginẽ Dei homo geſſit, iuxta ipſiꝰ Dei cõſiliũ, vt tota hominis natura voluntati diuinę conformis eſſet. Nã

verè fuit homo ſapiens, iuſtus, purus, ſanctus & plenè beatus: quæ quidem vniuerſa, imago Dei complectitur. Atque tunc nec dum electione ille indiguit aut redemptione, nec reprobatio ei fuit extimeſcéda. Ac potuit ſanè in hac perſiſtere dignitate, quam liberrime, ſi vellet: partim ſufficientibus in creatione ſui, viribus ac facultate ornatus, partim auxilii diuini certitudine ſuſfultus, & externo arboris vitæ ſignaculo. *Geneſ.* 1. 2. Ita demum (vt rectè ſtatuit Auguſtinus Enchiridii cap. 104.) è paradiſo terrena, ſuo tempore, ad cæleſtem illam tranſlatus fuiſſet, abſque vllo dolore aut mortis periculo: idque ex dignitate ac beatitate primę ſuæ conditionis. Neque enim in his terris (licèt nunquàm tellus maledicta fuiſſet) perpetuò manſurus erat homo, ſicuti neque mundum hunc ità Deus creauerat, vt in ęternum perduraret. *Matth.* 24. *Eſa.* 51. *Pſal.* 102. *verſic.* 26. 27. 2. *Pet.* 3. Quod autem poſt lapſum etiam Hanoch & Helias viui in cælum tranſlati ſunt; id non beneficio primæ conditionis (qua vterque iam tum exciderant) eis obtigit, ſed propter electionem & redemptionem. Atque hęc quidem de conſilio creationis humanæ & ſtatus eiuſdē ante lapſum, conſideratio, apprimè eſt neceſſaria, vt ſciamus & intelligamus hominē ad imaginem Dei creatum primitus fuiſſe, hoc eſt, ad ſanctitatem, vitam ac beatitatem, & quidē (vt cætera cuncta) valde bonum: nequa-

Adamus etiam ſi lapſus non eſſet; non tamē in terrena Paradiſo manſiſſet.

Hanoch & Heliás viui in cœlum aſſumpti.

quaquã verò ad lapſum peccati vel ad mortẽ « & exitium ęternum. Alioqui non ad Dei, ſed « ipſius Diaboli (ſi ſecus) imaginem fuiſſet cō- « ditus: idq; ſorte tantò deteriori, quanto ma- « gis Adæ lapſus ad communem totius poſte- « ritatis calamitatem ſeſe extendit. «

Conſilium Dei de redemptione hominis.

Nunc ad conſilium Dei de redemptione humana, priori coæternum: ſicuti in Deo nil prius aut poſterius eſt, ſed omnia opera ſua nota ei ſunt ab æterno, *Actor.* 15. Hoc demum Dei cōſilium collimabat ad lapſum hominis, ab ipſo præuiſum, & ſic declaratur Geneſ. 3. *cap. Semen mulieris conteret caput ſerpentis.* Et Iohann. 1. *Deum nemo vidit vnquam, vnignitus Filius, qui eſt in ſinu patris, enarrauit nobis.* Item cap. 3. *Sic Deus dilexit mundum, vt filium ſuum illum vnigenitum dederit, vt omnis qui credit in eum, non pereat, ſed vitam æternam habeat.* Sic Matth. 3. 17. *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi complacitum eſt, hunc audite.* Marci 10. *Non venit Filius hominis, vt ſibi miniſtraretur, ſed vt miniſtraret, & daret animam ſuam redemptionem pro multis.* 1. Corinth. 1. *Ex ipſo eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus nobis eſt ſapientia á Deo, iuſtitiaque, & ſanctificatio & redemptio.* Coloſſ. 1. *Quoniam in eo placuit patri, vt omnis plenitudo inhabitaret, & pace per ſanguinem crucis eius facta per eum reconciliaret omnia ſibi per eum, tum quæ in terra, tum quæ in cælis.* Ibidem hoc ipſum

vocat Apoſtolus, *myſterium abſconditum à ſeculis & ætatibus, nunc autem patefactum ſanctis Dei.* Vide inſuper *Rom.8.verſ.2.3.Et cap.5.verſ.8.cap.9.verſ.*11. Hoc omne Dei conſilium expoſuerat Paulus Epheſiis Act. 20. quò pertinet totum porrò primũ caput Epiſtolæ eius ad eoſdem. Et hoc ipſum Dei conſiliũ prædicante & baptizante Iohanne, Phariſæi & Scribæ repudiarunt, *Lucæ* 7. vide etiam *Marci* 10. *verſ.*33. *Lucæ* 18. *verſ.*32.33. *Iohan.*3.*verſic.*4.15.16.17.*cap.*10.*verſic.*9.11. 14.25.

Hoc ergo cõſilium Dei, vt propriè reſpicit ad ſtatum corruptionis humanæ poſt lapſum: ità ad electionem & reprobationem ęternam pertinet. Nam Deus vno & eodem intuitu ſimul ab ęterno, vt hominis creationẽ, ità eiuſdẽ lapſum, præſciuerat, adeoq; remedium in Chriſto Filio ſuo, itidẽ ab ęterno, decreuerat & præparauerat: ſicuti in illo electi ſunt ante iacta mundi fundamẽta, quicunque credunt & ſaluantur. *Epheſ.*1.

Hoc probè notãdum, ne electionem aut reprobationem vel ad creationem hominis, vel ad ſtatum eius ante lapſum, detorqueamus: ſed ad redemptionẽ & ſtatum hominis deprauati, pertinere, ſciamus. Ideò namque ab æterno Deus, quos voluit, elegit, vt ex lapſu eos redimeret, in integrum reſtitueret ac ſeruaret.

Quô pertinet illud Auguſtini de prędeſt. Dei, cap.3. *Prædeſtinatio non fieret, niſi oſtenſio fu-*

Digitized by Google

ſio futura eſſet, quam offenſionem qui præſciuit eſſe, offenſionis vltionem (vt iuſtus iudex) *prædeſtinauit*, &c. Nunc ad ipſam accedamus doctrinam. Vulgò ſub voce *Prædeſtinationis*, *Electio* compræhenditur & *Reprobatio*. De vtraque *igitur ſeorſim tractatio* ſuſcipienda.

DE ELECTIONE.

DOcent ſacræ literę, Deum ab ęterno, pro immenſa ſua miſericordia, ex lapſo genere humano, quoſdā gratis per filium ſuū vnigenitum & in ipſo, à peccatis & æterna pœna liberare, adeoque ſaluare conſtituiſſe. *Epheſ.1.verſic.* 4.5. Quod ſic tamen intelligendum non eſt, quaſi propter præuiſæ in eis fidei & pietatis meritum futurum, illos elegerit præ cæteris: Verum gratis propter Filium elegit eos, vt & fidem eis conferret & ad verā pietatem ipſos perduceret. *Epheſ.* 1.*verſic* 6.*cap*.2.*verſ*.9.*Act*.13.*verſ*.48. Non igitur Electio ex fide aut bonis operibus hominum: ſed hæc potius ex electione Dei, nequis glorietur niſi in Domino. 1.*Cor*.3.4. *Epheſ*.2. III.

Non ex fide eſt electio, ſcilicet illa ex hac.

Cęterum, *quos Deus elegit, hos etiam vocauit & iuſtificauit*, &c. Ita fit, *vt quemadmodū credens* (iuxta beatum Auguſtinum) *ſcit ſe credere: ſic electi cognoſcant certò ſe electos eſſe*. Deus enim largitur eis Spiritum ſanctum,

Quomodo cognoſcatur electio?

quem ſecum retinent habitantem, & à quo in vera fide per verbi diuini auditum, illuminantur & conſeruantur, & qui per fidei ac promiſſionũ Euangelii conſolationẽ, vnà cũ ſpiritu illorũ, teſtificatur, eos filios eſſe & hæredes Dei, *Ioha* 1. *Ro.* 8. 2 *Cor.* 1. *v.* 22. *Epheſ.* 4. *v.* 30. 1. *Iohan.* 2. *v.* 27. Hæc igitur interna cõſolatio eſt illis firmiſſimum electionis ſuæ ſigillum, in quo tuti acquieſcãt: nec vel impiè ambigant, vel de reb. nõ patefactis, inquirũt ſcrupuloſius: verum promiſſionib. verbi expreſſis, mordicus inhæreant. 2. Pet. 1. v. 19. Iohan. 6. verſ. 40. 19.

Fides electionem certò ſequitur.

Etſi vero omnes verè credẽtes in Chriſtũ electi ſunt: nõ ideò tamẽ omnes electi ſtatim credunt. Quid enim dicemus de nondũ vel vocatis vel natis? Certò autẽ Electi omnes & vocandi & credituri ſunt: pro quibus, etiam nec dum credentibus Chriſtus orat *Iohã.* 17. Et *Iohann.* 10. de gentilitate dicit, ſe *alias habere oues quas etiã ſit adducturus.* Nequaquã ergo, qui in verbi diuini veritate nondum ſatis inſtituti & cõfirmati ſunt, electionis ſuę ſpẽ abiicient. Siquidẽ non vno omnes Electi momento vocantur & illuminantur: ſed exactè tamen articulos temporis oportuni Deus benigniſſimus computat, negligens neminem. *Iohan.* 6. *verſ.* 37. 39. *cap.* 10. *verſ.* 16. 28. *cap.* 13. *verſ.* 18. *c.* 16. *v.* 12. Quapropter nemo ſpem gratiæ diuinæ abiiciat: *Dominus enim nouit quinam ſint ſui,* 2. Tim. 2. verſ. 19. Et 2. Corinth. 6. ait: *Tempore accepto exaudi-*

Conſolatio pro iis qui necdum ſentiunt electionem.

Digitized by Google

audiui te, & in die ſalutis adiuui te. Item Hebr.13. *Non te deſeram neque derelinquam.* Quicũq; igitur ſeriò de ſalute ſunt ſolliciti, ac veram fidem exoptant, Deumq; rectè cognoſcere & inuocare, deſiderant; illi cuncti & ſinguli iam tum fiduciæ tantum adepti ſunt, vt ſuſpirare & anhelare ad Dei miſericordiam poſſint. Quare iamtũ in ſeipſis certã electionis ſuæ notã & argumẽtum euidẽs perſentiſcunt, donec fide creſcente corroborentur. Idque tàm certò quã verè Chriſtus ait Matth. 5. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ſaturabuntur.* Et cap. 7. *Quærite & inuenietis, petite & accipietis, pulſate & aperietur vobis.* Cap. 11. *Venite ad me omnes quotquot laboratis & onerati eſtis & ego refocillabo vos,* Cap. 12. *Arũdinem quaſſatam non confringet, nec linum fumigans extinguet, vſque dum proferat iudicium ad victoriam.* Et propoſuit nobis Deus admiranda ineffabilis clementiæ ſuæ exempla, in Manaſſe rege, & Nebucadnezare, muliere item Samaritana, & Maria Magdalena, Zachæo, Paulo, latrone in cruce conuerſo, & Iudæis quam plurimis, *Actor.* 2.4. gentilibus verò innumeris adhuc lucrifactis. Quæ tamen ad excuſandum hypocritarum & prophanorũ hominum ſecuritatẽ pertrahenda nullo modo ſunt. Probè enim Deus nouit quinam ſeriò agant, aut qui ipſum tentent. Sed inſeruire hæc ſolummodò debent anxiis conſcientiis, vt excutia-

Exempla admirabilis clementiæ Dei.

Prophanitas & hypocriſis inexcuſabilis eſt.

tur ex animis diffidentiæ ac deſperationis, quælibet ſiue occaſio ſiue materia. Dicit enim Dominus: *Viuo ego, nolo mortē peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat*, Ezech. 18. ℣. 33.

Electio merè eſt gratuita. Conſtat itaq; gratuitam verè ac merè eſſe Dei electionem, adeoq; certam, vt nunquā fallat credentes: idque eò magis, quod non pendeat ex hominum dignitate vel meritis. Vnica namq; eius cauſſa eſt εὐδοκία voluntatis Dei: pro immenſa ſua miſericordia, in Christo Ieſu, hominibus quam optimè cupientis. *Epheſ.* 1. *Matth.* 11. *Luca* 10. Nullum verò ex parte hominum, meritum interuenit; alioqui gratia non foret gratia. *Rom.* 11. *Epheſ.* 2.

Cur non omnes electi ſint? Cur autem non omnes Deus elegerit; iſta nimium eſt curioſa & audax quæſtio. Neque enim Deus eſt vt homo, cum quo vel ſit contendendum, vel qui teneatur rationē reddere omnium quæ facit, *Hiob.* 33. & 37. *verſic.* 23. Hinc Auguſtinus ad Xiſtum: *Cur Deus illum potius quam illum liberet, ſcrutetur, qui poteſt, iudiciorum eius tam magnum profundū: verūtamen caueat præcipitiū.* Et huc propriè (non aliò) Paulina reſpicit disputatio *Rom.* 9. 10. 11. Vbi nō de reprobationis (vt volunt aliqui) cauſſa, ſed potius de cauſſa electionis tractatio ſuſcipitur præcipua: ac reprobationis non ex profeſſo, ſed vix obiter ac per cōparationē ex antitheſi,

ſit

fit mentio. Verus autē rei ſtatus is eſt, & quęſtio principalis. Probare vult Apoſtolus, hominē, corā Deo, merè gratis, per fidem in Chriſtum abſque legis operibus, iuſtificari. Oſtēdit ergo totius rei fundamentum, in eo, quod iuſtificādi priuſquam vel mundus extaret vel ipſi eſſent antequam viuere, nedū quicquā operari aut promereri poſſent, ſola Dei bonitate & voluntatis eius εὐδοκίᾳ prædeſtinati & electi, ab æterno fuerint.

Status disputationis Paulinæ Rō. 9.10.11.

Quod ipſum vt perſpicuè quibusuis ob oculos proponat & explicet, hanc mouet quęſtionem: Cum omnes homines, in communi ſtatu deprauationis, ab æterno Deus intuitus fuerit, & iuſtè perdere omnes potuerit: cur aliquos præ cæteris ad ſalutem elegerit, & quid meriti aut prærogatiuæ in illis inuenerit? Cur prætulerit Iſmaëli Iſacum? Cur præ Eſauo dilexerit Iacobum? Etenim in vtero matris conſiderati vterque erant æquè rei. Cur abiecta bona Iſraëlis parte inſtar maris arenæ, reliquias duntaxat ſeruet? Hìc reſpondet, vt in omnibus quidem, tota videlic. maſſa corrupta, condemnationis inuenta materia, ſic nullū tamen in quoquam gratiæ aut electionis meritum fuiſſe repertum; ſed hanc duntaxat eſſe εὐδοκίαν Dei, & voluntatis eius miſericordiſſimæ propoſitum, de quo nemini, aut nullæ creaturę, rationem reddere teneatur. Nec interim vllam apud Deum eſſe iniuſtitiam; qui, cum de ſuo quod vult elargitur, quibus

vult, haud cuiquam faciat iniuriam. Quò minus bonitati eius quiſquam ſuccenſere, vel aliis eam inuidere, nullo prætextu poſſit aut debeat. Sicut neq; conqueri poſſunt, qui pro reatu ſuo ac merito iuſtè à Deo reiecti puniuntur. Cõcludit ergo, vt quiſpiã iuſtificetur per fidẽ & ſaluetur, id non fieri ratiõne meriti aut operũ, ſed gratuita Dei miſericordia. Nõ hoc eſſe volentis aut currentis cuiuſquam hominis opus. Itẽ, voluntati Dei (nimirũ tam iuſtæ quam miſericordi) reſiſtere neminẽ poſſe: figulum habere poteſtatẽ in lutum. Et voluiſſe Deum notam facere iram ac potentiam ſuam in vaſis iræ ad interitum deſtinatis atque præparatis, quæ multa interim ſuſtineat lõganimitate: vt & notas faceret diuitias glorię ſuæ in vaſa miſericordię quę pręparauerit ad gloriã. Hiſce cõſtitutis, ad propoſitũ de ſolius fidei gratuita iuſtificatione, redit, concludens, iuſtitiã eos excidere, quicunq; ex lege & eius operibus illam quærant, & non ex fide tantum. *Quid ergo dicemus?* Inquit. *Quòd gentes non ſectantes iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam verò ex fide: Iſraël autem ſectans legem iuſtitiæ, ad legem iuſtitiæ non peruenit. Quare? Quia non ex fide, ſed quaſi ex operibus legis. Offenderunt enim in lapidem offenſionis,* &c. Poſtea prolixè per totum caput decimum & vndecimum, in eandẽ ſententiã diſſerens de reiectis Iudæis & vocatis gentibus, dum põderat ab vna parte ſummã Dei gra-

Digitized by Google

gratiam & miſericordiam, ab altera iudiciorum eius iuſtitiam & ſeueritatem, quæ vtrinque omnem rationis humanæ captum ſuperant, totam abrumpit diſputationem, exclamatione illa: *O profunditas diuitiarum & ſapientiæ & cognitionis Dei! quàm incomprehenſibilia iudicia eius & imperueſtigabiles viæ eius!* &c.

Reprobi de facta ſibi iniuria cõqueri non poſsũt.

Porrò reprobi nullo iure conqueri poſsũt, ſe neglectos eſſe. Cõſcii namque ſibi ſunt, quod non modò in peccatis concepti & nati, ſed etiam increduli & inobedientes ſeu contumaces & impœnitentes ſint. Nec verò Deus cuiquam impio nedùm refractario, ad miſericordiam obſtrictus eſt; ſed miſeretur gratis & liberrimè quorum vult. *Hic enim iudicia Dei abyſſus ingens*, Pſ.36. *Et miſericordia Dei, quod nõ cõſumpti ſim⁹ vniuerſi*: Thr.3.

An Deus acceptator perſonarum?

Hìc moueri ſolet quæſtio, quia Deus quoſdam eligens cum rei ſunt omnes, æqualibus non tribuat æqualia, annon igitur ſit προσωπολήπτης? Ac reſpondetur, quod nullo modo, *Act.*10 *Rõ.*2.*v.*11. 1.*Pet.*1.*v.*17. Nã προσωπολήπτης eſt is, qui contra iuſtitiam æqualibus inæqualia tribuit. Deus aũt ſiue miſericorditer ſaluet electos, ſiue reprobos damnet ſeueriter, iuſtiſſimè ſemper agit. Miſerendo quidem: ſiquidem Filius eius vnigenitus (in quo facta eſt electio) morte ſua pro peccatis electorum ſufficiens perſoluit ἀντίλυτρον. Damnando, ſimiliter iuſte agit, quippè cum ἀναπολόγητοι ſint omnes, & naturâ filii iræ, *Rom.*2. *Epheſ.*2. Neque enim Deus (vt perſæpè

Quis προσωπολήπτης?

homines) iniuſtè hunc abſoluit, aut illum damnat, nec (vt iſti) iniquis frena laxat affectibus: verum pura & ſancta eſt, tam iuſtitia eius condemnans, quam eiuſdem ſaluans miſericordia, nullis penitus inquinata prauis affectibus.

Electio non tollit prædicationem reſipiſcentiæ.

Reſtat verò & alia difficultas. Efferre .n. ſeſe audent nonnulli, clamitantes, *incaſſum prædicari reſipiſcentiã & fidẽ Euangelii, ſi ex diuina, duntaxat Electione ſalus hominis dependeat.* Pugnare iſti cum doctrina electionis opinantur, quod Dominus ait; *Nolo mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat.* Itẽ Matth. 23. *Volui congregare filios tuos,* &c. *ſed tu noluiſti,* &c. Verum hæc & ſimilia dicta, neque de prędeſtinatione loquuntur, nec eam tollunt: nec deniq; in hominum arbitrio ac poteſtate ſalutẽ collocant: ſed intelligenda ſunt de generali vocatione Euangelii, per externum verbi diuini miniſterium, inſtitutâ & ordinatâ. Quod nimirum, gratia ſalutaris, in cõmune offeratur omnib. etiã obſtinatis ipſis, in teſtimoniũ. Matth. 24. Deinde cõcionãtur etiã hæc dicta, partim de obedientia fidei, partim & ex aduerſo de obſtinata contumacia in vocatis.

Triplex ordo auditorum verbi diuini.

Nam offerunt ſe, aut electi, qui per Dei gratiam, verbum fide recipiunt. *Rom.* 1. *v.* 5. Et hi ſalutem ſuam operantur cum timore ac tremore, *Philip.* 2. firmam facientes vocationem & electionem ſuam, 2. *Pet.* 1. Aut occurrunt reprobi, qui oblatam gratiam

aſper-

aſpernantur, & propria contumacia ſeipſi in condemnationẽ (iuſto Dei iudicio) præcipitant. *Rõ.2.verſ.5.* His doctrina Euangelii eſt odor mortis ad mortem, 2. *Cor.* 2. Aut 3.
ex vtriſq; mixtum eſt auditorũ genus: quorum aliqui ad tempus recipiunt Euangelium, ſed iſti iterum deficiunt, quia non habẽt radicẽ in ſeipſis, verũ ſunt πρόσκαιροι. *Matth.* 13. *verſ.* 21, & vocati quidem, non autem electi. *Matth.* 20. Cæteri ad tempus refractarii ſunt, qualis erat Paulus *Act.* 9.1 ſed electi tamen, qui ſuo tempore adhuc reſipiſcunt, credunt, & ad ouile Chriſti colligũtur, adeoque ex vltimis fiunt primi: ſicuti vice verſa, alteri, ex primis, vltimi. Sed in hiſce cunctis, arbitrium humanum, non affert præiudicium electioni diuinę. *Siquidem dona Dei ſunt* ἀμεταμέλητα: Rom. 11.

Errores cum doctrina Electionis pugnantes.

Euertit hæc doctrina, primo Pelagianiſmũ ſeu errorem iſtum, quod homo, in hac naturæ deprauatione propriis viribus, gratiam Dei conſequi, & ſeipſum in Electorum cooptare numerum, voluntatis ſuæ arbitrio, poſſit. 1.
Itéque quod propter meritum fidei præuiſæ ac bonorum operum, Deus credẽtes elegerit, & non merè gratis ꝓpter Chriſtum ſeu in ipſo. 2.

Confutatur deinde hac ipſa doctrina ridiculum illud dogma nuper natum, de generali & omnium cõmuni electione. Neque .n. omnium eſt fides, 2. *Theſ.* 3. ſcilicet electorum Dei, *Tit.* 1. Et quidem ſi omnium ele- 3.

ctio eſſet cõmunis: eo ipſo electio eſſe protinus deſineret.

4\. Poſtremo, eadem operâ compeſcitur importunus eorum clamor, qui dicũt, *Electos vel ſceleratiſſimè viuentes, neceſſario ſaluari: & reprobos, vel piiſſimos, non poſſe non condemnari.* Siquidem neque in reprobis vlla vmquã ſyncera pietas reperitur: nec electio cum ſcelerib. & impœnitentia, verum cum vocatione, fide & reſipiſcentia, cõiuncta eſt, quo minus hęc profligatam aut finalem ſcelerum impietatem admittat.

Eſt verò vſus huius de Electione doctrinę longe maximus.

Vſus doctrinæ de Electione. Primò enim illa conſolationi noſtræ inſeruit, dum pelagus miſericordiæ Dei, erga miſeros peccatores hîc ſeſe aperiat, ad laudẽ excellentis gratiæ eius. Simul etenim gloria Dei amplificatur & extollitur, ſimulque generi humano, certa conſcientiarum affertur conſolatio.

Secundò, incomparabile huic & inuictũ exiſtit fidei robur: dum eius monſtratur Plerophoria, non in viribus humanis, verum in decreto electionis diuinę immutabili, adeoque in vnico fidei fundamento, Chriſto Ieſu: *Epheſ.*1. 2. *Cor.*1. *Matth.*16. *Iohan.*10. 17. 2. *Tim.*2.

Tertiò confirmat hæc doctrina, iuſtificationem hominis gratuitam, per fidẽ in Chriſtum, abſque legis operibus, aut vllo proprio merito. *Rom.*3. 4. & 5. Atque ad hunc propriè

priè ſcopum (vt paulo ante dictum) totam de Prædeſtinatione doctrinam dirigit Apoſtolus *Roman.*9.10.11. Quò pulchre facit illud Auguſtini, de bono perſeuerantiæ, cap. 21. *Prædeſtinatio prædicanda eſt, vt poſſit vera Dei gratia, hoc eſt, quæ non ſecundum merita noſtra datur, inſuperabili munitione defendi.*

Quartò, excitantur hac commonefactione pii ad preces, quas propter Chriſtum tanquam in ipſo electi, ſciunt gratas & acceptas eſſe Deo, *Iohan.*16.ꝟ.27. nec non ad gratiarum actionem, ad ſanctæq; vitæ ſtudium accenduntur, pro vocatione & electione ſua confirmanda, 2. *Petr.*1. Ideo enim electi illi ſunt, vt ſancti eſſent & inculpati coram Deo, per charitatem, *Eph.*1.

Nunc de Prouidentia Dei & libero arbitrio, nonnulla ſunt, ſiue annectenda ſiue intercalanda, priuſquam, ad reprobationis tractationem tranſeamus.

DE PROVIDENTIA DEI.

QVatuor diuinę Prouidentiæ veluti gradus in ſacris literis patefacti ſunt. Quorum primus eſt, arcani conſilii ac decreti, in mente Dei, antequam reueletur. Vt *Act.* 4.ꝟ.28. *Roman* 8.ꝟ.29.30. *cap.*11.ꝟ.33. *Geneſ.* 50.ꝟ.20. Alter eſt gubernationis & ſuſtentationis rerum totius vniuerſi, aſpectui & ſenſibus noſtris expoſitæ: quæ alias, actio

Quatuor gradus prouidẽtiæ Dei.

1.

2.

Dei generalis dicitur, *Johannis 5. verſ. 17. Hebr.1.v.3.* Tertius eſt moderationis euētuum, in rebus particularibus vel minutiſſimis: in actione Dei tàm ſpeciali quàm generali appellatâ, conſiderandæ. Sic Deus dat ſerenitatem & pluuiam, nec paſſerculus in terram cadit, nec decidit folium ab arbore neq; capillus capitis, absq; voluntate eius, *Mat.5.6.10.Pſalm.1.*

5. Quartus demum gradus, eſt, curę Dei paternę pro electis & credentibus, ratione fœderis gratiæ, qua peculiariter Deus illis proſpicit: ac res eſt veræ conſolationis pleniſſima, ſeorſim ad actionem Dei ſpecialem dūtaxat pertinens, *Pſal. 91.℣.11. Pſ.105.℣.14.15. Eſ.46.℣.3.4. Zach.2.℣.12. Mat.6.℣.8. 1.Pet. 5.℣.7.*

Pœnitentia Dei.

Etſi verò hæc vniuerſa coram Deo certa, rata & immutabilia ſunt: pœnitere tamen ille dicitur & mutare ſententiam: non quod mutatio vlla in Deo ipſo, aut conſiliis prouidentiæ eius, accidat: fit enim illa ſecundum eius voluntatem, in creaturis & rerum euentibus. Ac non parum ſæpe Deus conditionaliter quædam (ſibiipſi tamen minimè ambigua) inter creaturas prouidit: licèt non ſemper illa conditio exprimatur. Sicut in exemplo Nineuitarum videre eſt, actâ pœnitentiâ, non pereuntium. Item in exemplo Ezechiæ ex morbo lethali eluctantis: Et omnium maximè in exemplo Heliſæi & regis Ioas, iuſſu eius, tellurem ſagitta ferientis, verum

Prouidentia conditionalis.

Digitized by Google

verum non niſi ter. Cui Propheta: *Si quinquies aut ſexies feriiſſes, ad internecionem Syros percuſſiſſes: nunc autem ter eos percuties.*

Et quanquam certo conſilio Deus immutabiliter omnia regit ac moderatur; non ideo tamen ocioſa res eſt, audire conciones, precari, laborare. Nam prouidentia Dei has etiam res cum ſuis effectibus & omni euentu ordinauit. Nec prouidentia tollit mandata Dei, quemadmodum nec opera legitimarum vocationum: ad quæ illa potius fideliter præſtanda quoſuis extimulare debet, vt expendant ſe Dei eſſe συνεργούς.

Quando autem res malæ eueniunt; malitia Dei imputanda non eſt. Siquidem in flagitiis ſuis, impii, nil minus, quam ad Deum aut voluntatem eius, reſpiciunt: ſed ruunt contra voluntatem Dei in verbo patefactam, propriis libidinibus, contra conſcientiam inſeruientes: quemadmodum & ſanctorum næui ſunt non pauci. *In rebus malis Deo non imputanda malitia.*

Verum Deus factis etiam peſſimis hominũ, quæ propter malitiam deteſtatur, ſanctè interim & bene vtitur: dum videl. bonæ Dei voluntates (vt loquitur Auguſt.) ſæpe implentur, mala malorum hominum voluntate, vt in paſſione ac morte Chriſti. Vide Ench. ad Laurent. cap. 101. Et ibidem ille cap. 100. ait: *Neque enim Deus bonus malè fieri ſineret, niſi omnipotens etiam de malo poſſet facere bene.* *Rebus etiam malis bene Deus vtitur.*

Ex his verò de prouidentia DEI bre-

Digitized by Google

uiter dictis, oritur quæſtio de libero hominis arbitrio; quam paucis iam expediemus.

DE LIBERO ARBITRIO.

PRincipio tenendum, poſt lapſum Adæ, in ſtatu communis deprauationis humanæ, ad bonum penitus nihil homini relictum eſſe, liberi arbitrii: ſed propendere illud duntaxat ad malũ, *Gen.6.*℣.5.*c.*8.℣.21.*Deut.*29.℣.4.dicitur: *Dominus in hunc vſq; diem nec dum dedit vobis cor intelligens*, &c. Vide inſuper 1.*Cor.*2.℣.14. 2.*Cor.*3.℣.5. *Epheſ.*2.℣.3.*Rom.*7.℣.15.16.17.

Deinde ſciendum, licèt per naturę corruptæ vitioſitatem, homo, propriis viribus, ad bonum minimè feratur: arbitrarium tamen & voluntarium, non coactum, in eo peccatum eſſe. Siquidem ipſa etiam voluntas deprauata eſt. Proinde tam ipſa mala voluntas, quàm actiones peruerſę, in humana corruptione, ſunt ineuitabiles: niſi Deus peculiariter hominem illuminet adiuuetq;. Deus enim hominem non vult ocioſum aut truncum eſſe, ſed agere. Debebat autem agere bene; ſed quod ſecus faciat, id à Deo non eſt, ſed ex hominis corruptione ac vitio.

Tum denique propter hanc agendi neceſſitatem, actiones malę excuſari haud poſſunt. Siquidem actionem Deus vult,

non

non malitiam; quæ ex parte hominis interuenit.

Sunt ergo & hîc diſtincti gradus obſeruandi.

Quatuor diſtincti gradus arbitrii humani.

Primò enim ante lapſum hominis, arbitrium eius tàm ad bonum quàm ad malum eligendum ſimul & faciendum, erat liberrimum, & prorſus æquilibre.

Secundò, poſt lapſum, homo tantum propendet ac procliuis eſt ad malum, *Johan.* 14. ℣. 1. *Jerem.* 13. ℣. 23. *Matth.* 7. ℣. 17. *Johann.* 3. ℣. 6.

Tertiò, poſt reſtitutionem, homo (quatenus fide in Chriſtum renatus eſt) contendit & aſpirat ad bonum: agitque (Deo adiuuante) bene, *Philip.* 2. ℣. 13. Sed quia carnem & ſanguinem interim geſtat (id quod *corpus peccati & legem membrorum* vocat Paulus Rom. 7.) idcirco ad malum ſimul pronus eſt: eoque ſuſtinet nomine luctas grauiſſimas, *Romanor.* 7. *verſ.* 18. 19. *Galat.* 5. *verſ.* 16. 17. 18. 24. 25.

Quartò, poſt glorificationem, in altera illa vita, piorum voluntas & arbitrium, duntaxat & perpetuò, feretur ad bonum. Erunt enim æquales angelis Dei, *Matth.* 22. ℣. 20. *Luc.* 20. ℣. 36.

Tenendum igitur apprimè eſt diſcrimen inter hominem renatum & non renatum: Hic enim totus ad malum; ille verò etiam ope diuina ad bonum inclinatur propter regenerationem. Eſt autem illa talis in ho-

Homo renatus & non renatus differunt.

Digitized by Google

mine electo, Spiritus ſancti operatio, qua mens eius vera Dei cognitione ac fide illuminatur: adeoque voluntas eiuſdem ad obœdiendum Deo dirigitur & confirmatur: vt noua fiat creatura, *Jerem.* 31.*verſ.*33.34. *Ezechiel.*11. *Johann.*3.*verſ.*3.4.5. *Epheſ.*2.*verſ*10. *cap.*4.*verſ.*29. 2.*Corinth.*5 *verſ.*5.17. *Philipp.* 2.*verſ.*13.

Quapropter eatenus renati hominis arbitrium tendit ad bonum, quatenus regitur & iuuatur à Spiritu S. Nam Deus tam velle quam perficere largitur, iuxta beneplacitũ, *Philipp.*2.

Bona opera non renatorum.

Et quanquam non renatorum quoque videntur opera quædam eſſe bona, propter honeſtatem & vtilitatem, quantum homo iudicare poteſt: vt ſunt virtutes ethicæ, vel in hominib. Ethnicis; minimè tamen illa, vel diuinæ legis perfectioni reſpondent, vel in iudicio Dei conſiſtere poſſunt. *Siquidẽ absq; fide placere Deo, eſt impoſſibile, & quod ex fide non fit, peccatum eſt*, Rom.14.

Quomodo æſtimandum hominis arbitrium?

Concludimus igitur, æſtimãdum eſſe hominis arbitrium, aut in ſeſe, aut reſpectu regenerationis. De renatis iam dictum. In ſeſe autem conſideratum arbitrium, non ab euẽtib. verum ab hominis proprio iudicio & inclinatione metiri debemus. Etſi .n. voluntas & arbitrium vnà cum ipſo iudicio, in homine corrupta ſunt: non penitus ei tamen ademta ſunt. At euentus omnis in manu DEI eſt, qui longè aliter ad aliumque

Deus moderatur euẽtus.

que finem, omnia deſtinat, quam velit cogitetve homo, *Eſ.55.℣.8.9.* Quod autem renatorum voluntas (vt ante dictum) ad eundem cum Deo, ſcopum collimet: id nequaquam ex natura corrupta exiſtit, ſed è ſupernaturali gratia. Sequitur nunc de *Reprobatione.*

DE REPROBATIONE.

Hvius rei tractatio, duabus maximè de cauſſis eſt ſuſcipienda. Primò, quia ſaluandorum poſita miſericordi & gratuita electione: ſequitur etiam neceſſariò, iuſta reliquorum reiectio & condemnatio, itidem ab æterno decreta, & iuſto Dei iudicio deſtinata atque definita, *Roman.2.verſ.5.Hebræor.6.verſ.2.cap.9.verſ.27.* Deinde aliam inſuper cauſſam exprimit Apoſtolus *Romanor.9.verſ.22.* nimirum, vt ex antitheſi electionis atque reprobationis magnificentius effulgeat gloria miſericordiæ Dei in electis. *Quid ſi verò,* inquit, *volens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam; Pertulit multa lenitate vaſa iræ præparata ad interitum, vt & notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ; quæ præparauit ad gloriam?* De quo Auguſtinus ad Xiſtum: *In vaſis quæ perfecta ſunt ad perditionem damnatæ debitam maſſæ, agnoſcant vaſa ex eadem maſſa ad honorem facta, quid eis miſericordia diuina largita ſit?*

Cur de reprobatione docendum.

Summa doctrina de reprobatione.

Sciendum autem (quæ & rei ſumma eſt) quemadmodum, Electos gratis ex mera miſericordia, ſine vllo ipſorum merito, Deus ad ſalutem prędeſtinauit: ſic eum reprobos, pro ſua iuſtitia, non ſine culpæ merito, condemnationi, itidem ab æterno, adiudicaſſe. Non minùs enim iuſtus ille eſt quàm & miſericors; nec minùs iuſtè hos perdit, quàm ſaluet illos miſericorditer. Et quando Apoſtolus ait, *Deum voluiſſe oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam in vaſis iræ*: non iram & potentiam nudam & arbitrariam, ſed iuſtam ac neceſſariam debitamq; iram & potentiam, intelligit. Quemadmodum Auguſtinus Enchirid. ad Laurent. cap. 98. rectè diſtinguit inter *miſericordiam gratuitam* & *iudicium debitum*: itemq; inter *gratuitam indulgentiam* & *iuſtam vindictam*.

Duo de reprobatione, notanda.

Sunt igitur in tota hac tractatione duo notanda potiſſimum: Vnum, quod Deus non ſit author mali ſeu peccati: Alterum, quod in puniendis reprobis nihil ille violenter aut crudeliter faciat, ſed agat iuſtiſſimè.

1. Deus non eſt author peccati.

Peccati verò authorem Deum non eſſe, probatur primum ab ipſius natura, quod ſit iuſtus & ſanctus & ſolus bonus, *Pſal.* 5. *v.* 5. *Ierem.* 10. 1. *Petr.* 1. *Matth.* 19. *Pſalm.* 11. ℣. 7. *Pſalm.* 45. Item, à voluntate Dei, quod nolit ac deteſtetur peccata, *Pſalm.* 45. & 1. *Iohan.* 2. 3. Et ab eiuſdem operibus, quæ ante lapſum angelorum & hominum in prima creatione erant omnia valde bona, *Geneſ.* 1. Et

Digitized by Google

juſta etiamnum & ſancta ſunt vniuerſa, *Pſ.* 119. Nequaquam igitur per Deum, ſed per Diabolum & per vnum hominem, peccatũ introiit in mundum, *Johann.* 8. *Rom.* 5. *Jacob.* 1. ℣. 13. 14. 15.

Deinde idem euincitur à fide ac prouidẽtia Dei: quod naturam ille hominis à ſe conditam conſeruare, non peccato immiſſo, deſtruere, euertere, adeoq; diabolis corrũpendam & excarnificandam, obiicere voluerit, *Mat.* 6. 10. 1. *Tim.* 2.

Tum colligitur hoc ipſum à fine creatæ naturæ humanæ, qui eſt, ſanctitas, vita ac beatitas: non peccatum, mors aut condemnatio. Alioqui non ad Dei, ſed potius Diaboli imaginem, ille fuiſſet conditus, ſi ad peccatum & mortem, *Gen.* 1.

Præterea patet ex eo, quod nuſquam Deus vaſa iniquitatis aut maliti legatur pręparaſſe: ſed vaſa iræ & ignominię; quorum hoc iuſti eſt iudicii, tanquam pœnæ malum, illud iniuſtitiæ & peccati, tanquam malum culpę, à Deo alieniſſimum.

Denique huc facit orthodoxorum Patrũ ſententia concors & conſenſus maximus. Irenæus lib. 4. contra Valentinianos cap. 75. de ſuperbia & lapſu primorum parentum verba faciens, inquit: *Hæc non imputent Deo, quoniã homines non fecit ea.* Et cap. ſequenti: *Qui igitur abſtiterunt à paterno lumine & transgreſſi ſunt legem libertatis: per ſuã abſtiterũt culpã, liberi arbitrii & ſuæ poteſtatis facti.*

Iuſtinus Martyr, in colloquio cum Triphone Iudæo: *Non eſt Deus in cauſſa, vt prædeſtinati fiant iniuſti ſiue angeli ſiue homines: ſed ſua quisq; culpa talis eſt, qualis apparebit.* Item; *Scriptura præſciuit incorrigibiles; nō tales a Deo facti ſunt.*

Clemens Alexandrinus Stromat. libr. 4. *Quod homo elegerit, atque adeo quod vetitum erat, elegerit: non eſt culpa in Deum conferenda.*

Fulgentius ad Monimum lib. 1. *Quos prædeſtinauit ad gloriam, prædeſtinauit ad iuſtitiam. Quos prædeſtinauit ad pœnam, eos non prædeſtinauit ad culpam.*

Item: *Ad hoc non eſt prædeſtinata rationalis creatura vt malum faciat.* Item: *Non enim ſicut Deus præparauit ſanctos ad iuſtitiam percipiendam: ſic præparauit iniquos ad iuſtitiam amittendam: quia prauitatis præparator nunquam fuit.*

Hieronymus contra Iouinianū lib. 1. *Cum boni creati ſimus: ipſi noſtro vitio ſimus ad peiora delapſi.*

Ambroſius de vocatione Gentium lib. 4. de flagitio Caini: *Neq; ex eo quod falli ſcientia diuina non poterat, neceſſitate peccandi vrgebatur facinus voluntatis.*

Auguſtinus de anima & eius origine ad Renatum lib. 1. c. 7. *Præſcientia, quippe, Dei, eos quos ſanaturus eſt, peccatores prænoſcit, non facit.*

Idem de origine animæ ad Hieronymum, cap. 4.

cap. 4. *Certus etiam ſum, animam nulla Dei neceſſitate, vel ſua, ſed propria voluntate in pœnam eſſe collapſam.* Idem de Ciuitate Dei lib. 5. cap. 9. *Malæ voluntates à Deo nō ſunt: quoniam contra naturam ſunt, quæ à Deo eſt.* Ac de Geneſi ad literam: *Concedant non eſſe malam naturam quæ facta eſt, vt poſſet non peccare, ſi vellet: & iuſtam eſſe ſententiam, quâ punita eſt, quæ voluntate, non neceſſitate peccauit.* De prædeſtination. Dei cap. 2. *Nefas eſt dicere, Deū aliquid, niſi bonum præ-deſtinaſſe.* Itē: *Nō ita reprobatio eſt cauſſa mali, vt prædeſtinatio eſt cauſſa boni: nec obduratio ita facit hominē malum, vt miſericordia facit bonū.* Et in Epiſt. ad Xiſtū: *Si ſunt vaſa iræ, quæ perfecta ſunt ad perditionē, quæ illis debita redditur: ſibi hoc imputent. Quia ex ea maſſa facta ſunt, quam propter vnius peccatum in quo omnes peccârunt, meritò Deus iuſtéq; damnauit.* Item ibidem: *Iniquitatem damnare nouit ipſe, non facere.*

Iohannes Damaſcenus de Fide orthodoxa lib. 2. *Non fas eſt Deo adſcribere, quandoq; turpes & iniuſtas actiones fore: neq; neceſſitati; nam eorum non ſunt quæ ſemper eodem modo ſe habent.*

Prudentius contra Symmachum:—*Nec fata reatum*
Imponunt homini: ſed fit reus ipſe, ſuopte
Arbitrio placitóq;. Nefas & facta repēdit
Impia ſupplicus: merito, non ſorte, peremptus.

Digitized by Google

Haymo Epiſcopus Halberſtatinus in cap. 9. ad Romanos. *Cum dicit Scriptura, Nihil odiſti eorum quæ feciſti: Et vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona: quæſtio oritur, quare odio dicatur habere Eſau? Quæ ita ſoluitur: Quia non odit naturam quam fecit: ſed peccatum & vitium, quod non fecit.*

Homo conditus vt poſſet labi & non labi.

Etſi verò ſic hominem Deus condidit, vt labi poſſet; nõ ideo tamen vel peccati author eſt, vel eum labi voluit. Nam ita ſimul eundem Deus condiderat, vt æquè poſſet non labi, & lapſum prohibuerat. Hoc eſt, ornârat hominem libero arbitrio, vt ad bonum eo vteretur: peccatorem non fecerat. *Sunt enim quaſi duæ res* (inquit Auguſtinus in 3. c. Ioh.) *homo & peccator. Quod audis, homo: Deus fecit. Quod audis, peccator: ipſe homo fecit.* Homo igitur contra voluntatem Dei patefactam & contra conſcientiam, libero abuſus arbitrio, ad malum ſeſe inclinauit.

Cur homo dicatur lutum?

Hic plures ſoluendæ ſunt obiectiones. Videtur namque eo ipſo, ſine peccato non eſſe conditus homo, quod cum luto in ſacris literis ille comparetur. Sed non fit illud ratione primæ conditionis: ſed reſpectu lapſus. Neque enim Deus hominem fecerat lutum; ſed ex gleba terræ hominem. Poſtquam verò per peccatum homo (iuxta comminationem Dei) in terræ propter ipſum maledictæ puluerem recidit: lutum factus eſt impurum. Quemadmodum Paulus hominem in ſtatu corruptionis conſiderans, lu-

Digitized by Google

lutum & maſſam vocat: non in ſtatu primæ integritatis. Et hoc etiam, beatus Auguſtinus, lutum, de eadem generis humani maſſa, meritó rectéque damnatâ, ad Xiſtum interpretatur.

Sed præſciuit, inquis, peccatum Deus: Ergo vel ex præſcientia Dei, quæ fallere non poteſt, illud fuit neceſſarium; nec per Dei præſcientiam euitari potuit. Reſpondetur ab ipſo Auguſtino de triplici habitaculo, cap. 5. *Dei præſcientia, neminem*, [a] ait, *ad peccandum cogit: vt multi errantes, dicunt. Si enim, inquiunt, præſciuit Adamum peccaturum eſſe: non peccare non potuit.* Ex quo errore naſcitur, Deum eſſe cauſam peccati. Quod nefas eſt dicere. Idem, De prædeſtinatione & gratia, cap. 15. *Dei præſcientia non cogit hominem vt talis ſit, qualem præſciuit Deus: ſed præſcit talem futurum, qualis futurus eſt, quamvis non ſic eum fecerit Deus.* Ac de Prædeſt. ſanctorum, cap. 10. *Poteſt autem eſſe ſine prædeſtinatione, præſcientia. Prædeſtinatione, quippe, Deus præſciuit quæ fuerit ipſe facturus. Vnde dictum eſt: Fecit quę futura ſunt. Pręſcire autem potens eſt etiam, quę ipſe non fecit: ſicut quęcunque peccata.* Rurſus De libero arbitrio lib. 3. cap. 4. *Sicut tu memoria tua, nō cogis facta eſſe, quę præterierunt: Sic Deus pręſcientia ſua, non cogit facieda quę futura ſunt. Et ſicut quędam, quę feciſti, meminiſti, nec tamen quę meminiſti, omnia feciſti: ita Deus omnia quorum ipſe anthor eſt, pręſciuit, nec ta-*

[a] *Præſcientia non efficit peccatum.*

men omnium, quæ præſciuit, author eſt. Quorum autem non eſt malus author, iuſtus eſt vltor.

Ac de ciuit. Dei lib. 5. cap. 9. *Non enim ideo peccat homo, quia Deus illum peccaturum eſſe, præſciuit: imo ideo nō dubitatur, ipſum peccare cum peccat, quia ille cuius præſcientia falli non poteſt, non fatum, non fortunā, non aliquid aliud, ſed ipſum peccaturum, præſciuit:* Et in Epiſtola ad Proſperum & Hilarium: *Hæc regula inconcuſſè tenēda eſt: Peccatores in peccatis præſcitos eſſe, non præparatos.*

Ac citat Lombard⁹ illa ex Origene ad Romanos: *Nō propterea aliquid erit, quia id Deus futurum ſcit, ſed quia futurū eſt, ideo ſcitur à Deo, antequam fiat.*

Fulgentius ad Monimum, ait: *Non omnia prædeſtinauit quæ præſciuit: quāuis omnia prædeſtinata præſciuerit. præſciuit enim hominum voluntates bonas & malas: prædeſtinauit autē non malas, ſed ſolas bonas.*

Damaſcenus lib. 2. cap. 20. *Operæ precium eſt agnoſcere, omnia præſcire Deum: non autem omnia prædefinire & prædeſtinare. Præſcit enim ea, quæ in nobis: non prædefiniuit autem hæc. Nam non vult prauitatem fieri, neque cogit, neque vim affert virtuti.*

Haymo in cap. 11. ad Romanos. *Prædeſtinantur non omnia, quæ præſciuntur. Præſciuntur enim bona & mala à Deo: prædeſtinantur autem ſolummodo bona.* Exemplum huius

rei

rei manifeſtum extat *Matth.* 26. Vbi præſci- "
uit Chriſtus ſe poſſe rogare patrem, vt mittat "
plus quàm duodecim legiones angelorum, "
quorũ eriperetur miniſterio à poteſtate te- "
nebrarum: ſed ideo non id fuit prędeſtinatũ, "
aut ex pręſcientia eius, neceſſarium. *Quomo* "
do enim (inquit Saluator) *Scripturæ imple* "
rentur? "

Obiicitur, niſi ex præſciẽtia Dei lapſus hominis neceſſarius agnoſcatur, ſequi, quod ea dependeat ex humanis actionib. Sed nulla eſt conſecutio. Nam præſcientia Dei non aliunde dependet, verum in ipſiusmet exiſtit natura omniſcia, & veritate.

Præſcientia Dei non depẽdet ex humanis actionibus.

Quod autem Deus omnia dicitur efficere ſecundum conſilium voluntatis ſuę, *Epheſ.* 1. eo non includitur peccatũ. Neq; enim Apoſtolus vniuerſaliter & indefinitè loquitur de omnibus quæ vſquam ſunt vel fiunt; ſed de iis omnibus quæ fiunt in electis prædeſtinatis ſecundũ propoſitũ Dei, vt nimirũ illi ſint laudi glorię ipſius, qui priores ſperauerint in Chriſtum. Ac ſermo eſt, Apoſtol⁹ de iis quę Deus ipſe efficit; non de malitia peccati, quã Diabolus & homines impii perpetrant. Sic Auguſtinus in Enchir. ad Laurent. c. 105. diſtinguit inter *præſcita Dei*, quę ipſemet faciat, bona: & inter *præſcita* quę ſinat fieri (non autem ipſe faciat) videlicet mala. Idem, locum Roman. 11. ỽſ. 36. ſic interpretatur, de natura boni contra Manichæos cap. 28. *Cum audimus omnia ex ipſo eſſe & per ipſum & in ipſo:*

Quomodo Deus omnia efficiat?

Digitized by Google

omnes vtique naturas intelligere debemus,quę naturaliter ſunt. Neq; enim ex ipſo ſunt peccata,quę naturam non ſeruant,ſed vitiant: quę peccata ex voluntate eſſe peccantium, multis modis S.Scriptura teſtatur.

Quomodo Deus quæ nō vult permittat?

Inſtat aliquis: *Facilè Deus impedire peccatum potuit,ſi illud noluiſſet. Quia verò non impediuit, certè & voluiſſe & author eius eſſe videtur.* Verū non eſt reſponſio difficilis aut intricata. Si.n. voluiſſet, non prohibuiſſet nec puniret. *Permiſit autem* (ait Auguſtinus) *volens vtiq;,non nolens.* Non quòd illa permiſſione peccatum vel probet vel cauſſetur; ſed quod peccantes, loco pœnæ, deſerat, vt in peccatis progrediantur. Sed iterum audiamus diſſerentem hac de re, beatum Auguſtinum de prædeſt. Dei, c.4. vbi explicat locum Eſaiæ 45. *Ego Dominus formans lucem & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Quaſi dicat*, inquit, *Ego Dominus faciens pacem ex me tibi, & creans malum ex te tibi. Pro peccatis enim tuis bellum tibi tribuo,quod mereris. Quod etſi apud me ſit iuſtum, ex te tamen tibi ſit malum, quia non ex me,ſed ex te peccaſti. Et pro peccato pœnam tibi creo, quę apud me eſt iuſta, tibi autem mala. Huiuſmodi ergò malum creat Deus, quod per ſe ſibi ſit iuſtum: ex homine homini ſit malum.* Item in Enchirid ad Laurent.cap.10.

Quomodo Deus dicatur velle, quod non impedit?

" *Miro & ineffabili modo non fit pręter Dei*
" *voluntatem, quod fit contra tamen eius voluntatem.* Rurſus De Præd.Dei, c.2. *Non Deus*

ante

ante caſum hominis, ſic eum per potentiam alligationis prædeſtinauit morti, vt neceſſe eſſet eũ mori: ſed ſub ea conditione, ſi peccaret. Quia igitur peccauit homo, iuſtum erat vt moreretur: ſi non peccaret, nullo vinculo prædeſtinationis diuinæ, morti alligaretur. Item: *Hæc,* inquit, *prædeſtinatio conditionis eſt & iuſtitiæ.* Ac de prædeſt. & gratia, cap. 14. *Cuius vult miſeretur & quem vult indurat, dicente Domino: Sine me nihil poteſtis facere. Intelligit illa omnia, vel* adiuuante *Domino perfici, vel* deſerente, permitti: *vt nouerit tamen, nolente Domino nihil prorſus admitti.* Hinc ergo perſpicimus voluntatem & permiſſionem Dei, neque cauſam neque approbationem eſſe peccati; ſed potius pœnam deſertionis in homine peccatum eligente præ iuſtitia.

An peccatũ propter iuſtitiam & miſericordiam Dei, fuerit neceſſarium?

Sunt porrò qui putent effeciſſe Deum, vt homo peccaret, quia aliter miſericordiam & iuſtitiam ille ſuam patefacere nequiuerit. Eſt autem primò per ſe incredibile & valde temerarium dictũ, adeo ſapientiſſimo Deo omnem viam gloriæ ſuæ patefaciendæ præcluſam fuiſſe, vt per peccatum ceu rem ſibi exoſam ac deteſtabilem, hanc demum viam ſibi ſternere, opus habuerit; idq; ipſum contra propriæ prohibitionis rigorem ac ſeueritatem. Deinde, non eſt dubium, cognitionem iuſtitiæ & miſericordiæ diuinæ, longè eminentiorem in homine fuiſſe ante lapſum, quam nunc ſit. Præterea multò eui-

dentius iam ante in angelis partim ſeruatis, partim propter apoſtaſiam æterno gehēnæ ſupplicio adiudicatis, gloriam iuſtitiæ & miſericordiæ ſuæ, manifeſtârat. Verū ſufficiat hîc nobis piiſſimi & eruditiſſimi Bullingeri reſpōſum à Decadib. eius deſumptū. *Deus,* inquit, *ab æterno decreuit, genus humanū liberare ex ſeruitute. Ergo fieri nō potuit, quin ſeruituti implicaretur. Oportuit ergo nos immergi peccato, vt per hoc illuceſceret Dei gloria iuxta illud Apoſtoli: Vbi exuberauit delictū, ibi exuberabit gratia? Mirū verò* (ait) *iſtos non illud magis apud ſe perpēdere, Deū ſibi ex ſeipſo, etiā ſine nobis ad beatitudinē felicitatēq; eſſe ſatis: ac gloriā eius etſi nulla vnquā creatura prodiiſſet in lucē, pertingere ſupra omnes cælos. Annō ab æterno Deus? At non ab æterno creatura. Eſt aūt glorioſus Deus ab æterno: ergo ſine nobis glorioſus eſt. Quis verò ita ineptiat, vt exiſtimet, lucem illam æternam, aliquid gloriæ accipere à noſtris tenebris, à putore illo noſtro atq; peccatis? An ſine noſtris ſceleribus, nulla erat futura Dei gloria? Sapiens in Eccleſiaſtico, Ne dicas,* inquit, *defeci impulſu Domini. Non enim debes, quæ odit facere. Ne dicas, ipſe me in errorē impulit: non enim viro peccante ei opus eſt, vel non enim neceſſarii ſunt homines impii. Omne nefas odit Dominus: nec illud probatur eius cultoribus.* Hæc ille.

Quomodo Deus impiū fecerit ad diem malum?

Inſtat aliquis, Deum, quia fecerit impium ad diem mali, authorem eſſe peccati. Quod adeo non ſequitur, vt eo ipſo potius oſtēdatur,

tur, Deũ peccatis horribiliter iraſci: alioquin impiũ non deſtinaret diei malo. Neq; .n. Solomon dicit, *Deũ feciſſe impiũ*, quaſi author eſſet impietatis & malitiæ; ſed feciſſe eum ad diẽ mali, hoc eſt, *pœnæ eum deſtinaſſe*. Nam alioqui Deus neq; creauit, nec efficit reddit-ve homines impios, non magis quàm creauerit aut fecerit diabolos: Verum omnia ab eo creata erant valde bona. Nec verò hominẽ dicitur feciſſe Deus ad diẽ mali: is .n. à Deo cõditus fuit integer ſceleriſq; purus. Sed *impium ad diẽ mali fecit*, i. ordinauit eũ ad pœnã, propter impietatẽ, quod ab ipſo iſte defecerit. Atq; hunc ſenſum reddunt omnes orthodoxi interpretes: nec aliter ſine blaſphemia in Deum hic locus intelligi poteſt. *Prouerb. 16.*

Quod autem Paulus ait Roman. 11. *Deum cõcluſiſſe omnes ſub peccato*: non ita intelligẽdum eſt, quaſi ad peccãdũ eos obſtrinxerit, vt fierent peccatores ac perirent. Abſit. Verum concluſit per legem omnes ſub peccato, i. lege ſua, de peccato eos conuicit, vt humiliter culpam agnoſcentium ipſe miſereatur. Et loquitur diſertè Apoſtolus de reliquiis ex Iſraële adhuc ſaluandis, qui agnito peccato reſipiſcant & miſericordiam conſequantur. Ipſe verò omnẽ tollit ambiguitatẽ, cum ad *Gal.* 3. de Scripturæ concluſione rẽ omnem interpretatur, inquiens, *Scripturam concluſiſſe omnia ſub peccatum, vt promiſſio ex fide Ieſu Chriſti daretur credentibus*. *Quomodo Deus cõcludat homines ſub peccatũ?*

Videtur aũt durior eſſe nodus & obiectio

An Deus præceperit cum lege ſua pugnantia?

difficilior, quod iuſſerit aliquoties Deus, quæ tanquam peccata, lege vetuerat. Sed perſæpe inter ſe pugnare videntur, quę probè tamen conueniunt dextrè intellecta. Ac
" planè certiſſimum eſt, nihil in iis ineſſe pec-
" cati, quæcunque Deus iuſſit vnquam: quic-
" quid tandem ſtatuant homines. Neque e-
" nim ſanctitas Dei admittit, quod legi, tan-
" quam immotæ & æternæ iuſtitiæ eius regu-
" læ, aduerſetur. Siquidem omnis ἀνομία pecca-
" tum eſt: nec Deus proprię legis violator pu-
" tandus eſt.

Abraham iubetur immolare filiũ.

Verbi cauſa, iuſſit Abrahamo Deus, proprium & quidem promiſſionis filium Iſaacum immolare. Quod præ cæteris ferè cunctis exemplis, primo intuitu, diceres tum legi ſcriptæ, tum ipſi naturæ aduerſari. Sed longè aliter ſeſe res habere deprehenditur, paulò accuratius pẽſiculata. Primò namque iuſtius & ſanctius multò hoc ſacrificium Deus poſtulauit, quam præſtare vnquam Abrahamus potuerit. Atqui per fidem obtulit ille filium, *Hebræor.* 11. multo igitur magis per fidem id fieri Deus voluit. Vt verò non pugnat cum lege fides, quoad obœdientiam & ſtudium virtutis, *Gal.* 5. ℣. 22. ita nec Dei mandatum de ſacrificio ad fidem declarandam, requiſito.

Secundò, Deus tentabat Abrahamum; nec voluit quod mandârat, niſi per typum geri, vt euentus declarauit. Sicut ergo Deus hoc negotium mandârat, ita neque legi ipſi-

us nec

us nec naturæ, fuit contrarium. Ac ne aliter fieret, ipſe prouidit, ac miſſo angelo, diligenter præcauit.

Tertiò, ſi vel maximè Deus permiſiſſet mactari Iſaacum; non ideo tamen, & ne ſic quidem, homicida fuiſſet Abraham. Siquidem Deum iuſtas habere cauſſas eius mandati, crediſſet: abſq; expreſſo illius verbo nihil nunquam tale facturus.

Quartò, Deus ipſe (quod per typum immolationis Iſaaci præfigurauerat) non pepercit proprio filio, ſed ad mortem crucis eum tradidit, *Roman.* 8. *Philip.* 2. Nec tamen id fecit pater clementiſſimus, tanquam homicida vel tyrannus, nec odio Filii inflammatus, aut contra naturam agēs, crudeliter, cum dilectiſſimo Filio; ſed ipſomet Filio aſſentiente & volente, ad finem generi humano vtiliſſimum, nec non ſibiipſi cum Filio & Spiritu ſancto glorioſiſſimum: vt, nimirum, ſatisfieret iuſtitiæ ſuæ, pro peccatis humani generis & vt illud redimeretur in laudem excellentis gloriæ Dei. Sic ergo & Abrahamus per fidem in Chriſtum, tanquam ſemen promiſſum, vnicè directam, *Heb.* 11. cuius diem videns lætatus eſt, *Johann.* 8. ad requiſitum Filii ſui Iſaaci ſacrificium, fuit prōptiſſimus. Sciebat enim in Iſaaco vocatum eſſe ſemen, ac Dei fœdus tàm eſſe firmum, vt, priuſquam illud diſſolueretur, crederet, vel ex lapidibus Deum excitaturum ſemen, *Matth.* 3. *Rom.* 4. Nec dubium eſt, ſæpe inte-

Digitized by Google

rim in hac ipſa tàm difficili actione, ingenti cũ feruore ac zelo, cum paterni affectus prolixa & ardẽtiſſima teſtificatione, vel inter ligandum, antequam cultrum arriperet, chariſſimo filio, hoc totum aperuiſſe myſterium, eiq; plenã de reſurrectione mortuorum & vita æterna conſolationẽ luculenter propoſuiſſe; ne metu mortis aut animũ deſponderet, aut crudelitatis patrẽ accuſaret. Incredibili certè affectu paterno, & quãta potuit vi orationis, filiũ cõſolatus eſt. Vnde tã eum habuit placidũ ac morigerũ. Et ipſe Abrahã Deo rẽ omnẽ cõmmendans, obediuit ei atq; credidit, prouidentia ſeſe illius, in hoc tantò caſu conſolatus. Quẽadmodum inter aſcendendum, quærenti filio de victima reſpõdit: *Domin⁹ puidebit de pecude holocauſti, fili mi.*

Quintò, Abrahami patet innocẽtia, ſi factum eius conferatur cum exẽplis cõtrariis. Nã rex Moabitarum & alii, iniuſſu Dei, absq; verbo expreſſo, per κακοζηλίαν, idem tentãtes, ſuosq; partim liberos mactantes, partim per ignẽ Molecho traducẽtes, idq; ſine ſuperſtitioſo & idololatrico, crudeliter ac fœdiſſimè peccârunt contra Deum, legẽ & naturã, neque vocationẽ habentes, neq; cauſas legitimas. Quapropter quicunq; expẽderint, Iſaacum hac in parte, geſſiſſe typum Chriſti & ponderauerint mandatum Dei, ipſumq; re euentum, cõſiderantes Abrahami fidẽ, & q hac ratione Deus eum tanq̃ patrẽ fidelium tentârit ad declarãdum hac tanta obediẽti

fidei

fidem eius; illi omnes facile intelligent, nihil prorſus hîc vetiti homicidii, vel à Deo mādatum, vel ab Abrahamo perpetratum eſſe.

An ſupplicia magiſtratui mandata ſint homicidium?

Quod verò Deus homicidium prohibēs, nihilominus gladio percuti & igne cōburi iubeat homines flagitioſos; in eo nulla eſt diſcrepantia. Sic iuſſit excindi Amalekitas, tanq̃ hoſtes Dei & Eccleſiæ, iuſto iudicio, propter ingentia ſcelera, huic pœnæ deſtinatos. Sic ordinario magiſtratui mādat, plectere ſontes. "Nec tamen in eiuſmodi caſib. "homicidium cōmittitur. Siquidē non vetuit "Deus, ne quis homo interimatur: ſed ne quis "præter meritum, iniuſtè, ex odio aut auaritia "aut per vindictam priuatam & illicitam, trucidetur. Non igitur homicidii prohibitio, tollit magiſtratum, iura, leges belli & vindictam defenſionemq; neceſſariam; ſed "iniuſta tantum vetat homicidia. Ita fit, vt ab "homicidii ſuſpicione omni Scriptura eos li-"beret, qui inuiti, caſu quodam inopinato ac "præter animi ſententiam, quempiam inter-"emerint. Quinetiam dicitur Deus ipſe, tales occidendos, in manus illorū tradidiſſe. Quāobrem & aſyla ac loca tuta, olim talibus fuēre conſtituta, ne à vindice ſanguinis opprimerentur, *Ex.* 21. ℣. 13. & *Deut.* 19. ℣. 3. 4. 5. 6.

An ſpolia Ægypti furtum?

Obiicitur aūt, iuſſu Dei, Iſraëlitas auferētes vaſa aurea & argentea Ægyptiorum ac veſtes precioſas, ab eis vſui ſumptas, furtum commiſiſſe. Extat hiſtoria *Exod.* 11. *verſ.* 2. 3. *cap.* 12. *verſ.* 35. Ac primum eius rei

Digitized by Google

mandatũ reperitur ſtatim, *Ex.3.*✝.21.22. Vnde autem vel nomen vel ſuſpicio furti, irrepſerit, nuſquam apparet. In Græca verſione habetur: *Spoliabitis Ægyptios.* Hebræus textus dicit: *Auferetis Ægyptum. Furti* autem nulla fit mentio: Quod vt omne Deus prohibuit & execratur; ita nunquam populo ſuo indulſit. Spolia autem iuſta nunquam fuere prohibita, præſertim ab hoſtibus, optimo iure auferenda. Iam Ægyptii contra omne ius & fas, per tyrannidem Iſraëlitas, ad extremam egeſtatem & ſeruitutem redegerant, prementes eos duriſſimè. Quinetiam ſine mercede, moleſtiſſimis, longo tempore, laboribus eos exercuerant & fatigârant. Deus aũt annis ante quadringentis triginta, pollicitus Abrahæ fuerat, ſe ingentibus cum diuitiis, ſemen ipſius (hunc vid. populum) ex Ægypto in terram Chanaan, reducturum, *Geneſ.*15. Prædixerat interim Ioſeph fratrib. ſuis, quod omnes theſauri, ad ipſos peruenturi eſſent. *Gen.*50.✝.19. Idemque ex vita migraturus, oſſa ſua Ægypto in terram promiſſam aſportanda eis commendauerat, *cap.*5.✝.25. Pręterea Deus ipſe Moyſi præceperat, vt ſpoliaret Ægyptios, ac modum rei ſimul expoſuerat, cum ſuæ benedictionis & proſperi ſucceſſus promiſſione, *Ex.*3. Quod vniuerſum poſtea Moyſes, toti populo, ex ore Dei acceptum, propoſuit atq; declarauit, *Ex.*11.

Quantum igitur intereſt inter bona propria,

pria, vel vi, vel induſtria quadam, ex manibus alienis (quando præſertim, omne ius & æquum negatur) recuperanda: & inter aliena bona fraudib. iniuſtis ad ſe tranſlata; tantum intereſt etiam inter factum Iſraëlitarũ, & inter furtum. Et quantum ſpolia hoſti, ſiue gladio, ſiue quocunque prudentiæ militaris ſtrategemate, erepta, ab omni diſtant furtiua ſurreptione; tàm abeſt longè à furto & qualicunq; eius ſpecie, quod iuſſu & mandatu Dei, Iſraelitæ vaſa Ægyptiorum aurea & argentea, ab ipſo eis data, vnà cum veſtimentis eorum precioſis, abſtulerunt. Qua in parte non peccârunt magis, quam quod poſteà, iuſſu Dei terram Chanaan occupauerint. Nam *Domini eſt terra & quicquid ea continet.* Gratis ille dat de ſuo quibus vult, & rurſus quod ſuum eſt, à quibus vult aufert ad aliosque transfert. Quid obſtat enim, quo minus de ſuo faciat quod velit? Placuit autem ipſi, vt damnum populo Iſraëlitico illatum ab Ægyptiis, qui eum oppreſſerant & exhauſerant, compenſaretur: at velint loco mercedis pro diuturna ſeruitute, aurum & argentum Ægyptiorum eis tradi, tanquam iure ipſis debitum. Cauerunt etiam Iſraëlitæ, quò minus reſtitutionem promitterent; ſatis vtique de voluntate Dei præmoniti & edocti. Nec mentiti ſunt, quod ad vſum ſolennitatis ſuæ, id genus res peterent. Quis igitur furti accuſabit eos, qui è manibus alienis quoquo modo excutiunt, quæ ſua ſunt,

& quę corã Deo bona poſſideant cõſcientia. Vbi nãq; iniuſtitia demonſtrari nulla poteſt, ibi nec furti vel ratio vel crimen inuenitur.

Ac reſpondet ad eandem quæſtionem Ireneus, author inde ab Ignatio inter patres orthodoxos, poſt Apoſtolorũ tempora, vetuſtiſſimus, *lib.* 4. *c.* 49. in hũc modum. *Quid iniuſte geſtum eſt, ſi ex multis* (*vid. ad ſe ſpectantibus: nam omnes diuitiæ Ægypti, à Deo ipſis erant aſſignatæ*) *pauca ſumpſerunt: & qui potuerunt multas ſuas habere ſubſtantias, ſi non eis ſeruiiſſent, ac diuites abire, pauciſſimam mercedem, pro magna ſeruitute accipientes, inopes abierunt? Quemadmodum*, inquit, *ſiquis liber, abductus ab aliquo per vim, & ſeruiens ei annis multis & augens ſubſtãtiã eius, poſt, inde aliquod adminiculũ conſecutus, putetur quidem modica eius habere quædam, reuera aũt ex multis laborib. ſuis, & ex acquiſitione magna, pauca percipiens, diſcedat.* Idẽ author ibidem porrò monet, ne diſpoſitiones Dei iudicemus iniuſtè: cum ille omnia iuſtè profutura, præuiderit. Adſtipulatur etiam Auguſtinus, in *Exod. q.* 39. rotundè pronuncians, non furtum Iſraëlitas feciſſe, ſed iubenti Deo præbuiſſe miniſterium. Quapropter ne quidem in hac parte, quicquam contra legem ſuam Deus præcepit.

An Deus pſeudoprophetas per mendacium duxerit?

Vrgetur etiam hoc, quod Deus omne prohibens mendacium, nihilominus mendaci ad decipiẽdum Achabum cum omnib. prophetis eius parato, edixerit, vt abiens ita face-

facerет, 1. *Reg.* 22. Quinetiam ibidem Deus dicitur pſeudoprophetarum ori, ſpiritum mendacii indidiſſe. Huc affertur inſuper, ꝙ De⁹ licet ſcortationé paſſim deteſtetur, Hoſeæ tamen præceperit: *Aſſume ſcortum & ſpurios.* Hoſeæ 1. Et varia quidem illa primo aſpectu videntur, ei præſertim qui Scripturæ phraſibus non adſueuerit. Nequaquam verò eò ſpectant, quaſi mendacio Deus aut ſcortatione interdum delectetur: qui omnia peccata ſeriò odit ac punit in non reſipiſcentibus, horribiliter. Sed vterque propheta tàm Hoſeas hic, quàm ille Micheas filius Jembæ, more prophetico, talibus vtũtur ſchematis ad declarãdam reuelationé ſibi diuinitus factam, Hoſeas quidem ſtatũ populi, ſcortatione, idololatriæ, ſe contaminantis exprimere, & Iſraelem ad reſipiſcenantis extimulare voluit: re autem ipſa ſcortiam tatus non fuit. Nam aſſumere ſcortum & ſpurios iubetur; non gignere. Item cauſſa additur; quod terra à Domino deficiés poſt ſcortationé currat. Et in hanc ſententiam omnes concordant eruditi interpretes. Quô pertinet inſuper Auguſtini regula: ꝙ nimirũ, *vbicunq; Scriptura vitiũ aut flagitiũ pcipere videtur, figurata ſit agnoſcẽda locutio.* Ad Michæã porrò quod attinet, hoc ille vult, ꝙ Deus loco pœnæ Achabo debitæ, non obſtiterit diabolo, ſed poteſtatem ei conceſſerit, regem & pſeudoprophetas eius dementandi. Quemadmodum & impios dicitur in mentem tradere reprobam, *Roman.* 1.

Digitized by Google

„ quã ipſe tamen Deus minimè eis inſpirat, ſc.
„ in mentem reprobam à diabolo compulſos
„ iuſtè deſerit, in obſtinata eorum malitia eos
„ relinquens. Pictâ igitur veluti imagunculâ, Achabo regi & Pſeudoprophetis eius, propheta rem per hypotypoſin ob oculos poſuit. Non vtique, quaſi Deus in cælo ſuper thronũ ſedens, more humano diu multumque cum angelis pariter bonis & malis (quorum hos ab illorum conſortio ingenti ſeclуſit hiatu) conſultet atq; deliberet: Quis enim ita deſipiat? Sed vſus eſt hoc ſchemate prophetico Hoſeas, vt manifeſtius & viuidius oſtẽderet, certò ſibi reuelatum eſſe, quod Achab in Ramoth Gilead ſit extinguendus: quodq; ad ſeducendum prophetas eius, ſpiritus mendax egredi ſit permiſſus.

Neq; magis tamen vel Satanæ mẽdacium vel pſeudoprophetarum error & ſeductio excuſari hìc poteſt, quàm ipſius Iudæ proditio: ad quem expreſsè interim Dominus: *Quod facis, fac citò.* Grauiter autem peccabãt Achab ſimul & Iehoſaphat, quod vterq; magis obtẽperarent prophetis mendacibus, quam Micheæ: iſte verò etiã verberib. & carcere mulctaret innocentem. Deus enim, iuſto iudicio, id genus homines errorem veritati anteponentes, flagello cęcitatis percutit.

Sed audiamus beatum Auguſtinum, qui contra Iulianum *libr. 5. cap. 3.* ſic ſcribit: *Quis Achabum dicat non peccaſſe, ſpiritui credendo*

dendo mendaci? Quis dicat, hoc peccatum pœnam non fuiſſe peccati, venientem de iuſto Dei iudicio: ad quã, legit, mendacẽ ſpiritũ ſiue miſſum ſiue permiſſum? Et mox ibidẽ: *Tradit ergo Deus in paſſiones ignominiæ, vt fiant, quæ non conueniunt: ſed ipſe conuenienter tradit. Et fiunt eadem peccata & peccatorum ſupplicia præteritorum, & ſuppliciorũ merita futurorum. Sicuti Achabum tradidit in pſeudoprophetarum mendacium. Sicuti tradidit Roboam in falſum conſilium.* Facit hęc miris & ineffabilibus modis, qui nouit iuſta iudicia ſua, non modò in corporibus hominum, ſed etiam in ipſis cordibus, operari. Qui non facit voluntates malas: ſed *vtitur eis, vt voluerit: cum aliquid iniquè velle non poſſit.* Hæc ille. Quapropter aliud eſt, quod Deus puniat impios, ſinendo eis illudere Diabolum, vt in cæcitate ac tenebris obdurentur, *Eſa.* 6. *Luca* 8. 2. *Corinth.* 4. 2. *Theſ.* 2. ac lõgè item aliud, quod velle putetur & imperare peccata, quæ ſemper interim ille abominatur.

Sic Dauid de maledicente Simei, 2. Sam. 16. *Sinite eum maledicere, quia Dominus iuſſit ei, maledicito Dauidi. Nec vllum tamen verbum ad Simei Deus locutus fuerat*: ſed hac phraſi oſtendere Dauid volebat, non ſine iudicio & prouidentia Dei, hoc ſibi accidere. Nam in afflictionibus, non ad hominum iniurias pii, ſed ad Deum reſpiciunt. Nihil quippè illo fit inſcio, & facilè maleuolorum

Quomodo Deus iuſſerit Simei maledicere?

Digitized by Google

conatus ipſe poteſt reprimere, ne graſſentur latius, q̃ piis expedit. Nihil aliud ergo Dauid, quàm teſtatum facere voluit, non Deo ignorante, in iſtam rabiem Simei exarſiſſe: verum eſſe hāc aliquātā caſtigationis diuinę ſibi impoſitæ, portionem; quàm tamen cùm videbitur opportunum, facilè & miſericorditer Deus ſit mitigaturus: & æquo interim animo ſe hanc malle plagam ferre, quam illatam iniuriam temerè in Simei vlciſci. Sic Hiob, licèt à Chaldæis & ipſo Satana læſus & exagitatus fuiſſet; omnia tamen ad prouidentiam Dei piè tranſtulit, gloriam ipſi tribuens: *Dominus*, inquit, *dedit, Dominus abs-*
„ *tulit, ſit nomen Domini benedictum.* Simei
„ verò non modò nullum acceperat maledi-
„ cendi mandatum; ſed lege etiam diuina ipſi
„ ac toti populo interdictum ſciebat, *ne prin-*
„ *cipi populi ſui malediceret.* Quare cōtra Deū & legē & regē, iſte peccauit contumaciter: ſicut poſtea ſuo quoq; tēpore luit pœnam. 1. *Reg.* 2. Quod ſic explicat Auguſtin. de gratia & libero arbitrio, c. 20. *Non iubente illi Deus edixit, ſed voluntas eius, proprio ſuo vitio mala erat. Nam ſi iubenti obtemperaſſet Deo, laudādus potius quā puniendus eſſet; ſicuti ex hoc peccato poſtea nouimus eſſe punitū.* Ac paulò poſt ait, *Deum iuſto iudicio, malum cor Simei, in hoc peccato committendo, miſiſſe ſeu dimiſiſſe, hoc eſt, non impediuiſſe refrenando.* Additq;: *Ecce quomodo probatur Deum vti cordib. etiā malorum, ad laudē & emolumentum bono-*
rum?

rum? Sic vſus eſt Iuda tradente Chriſtum: ſic Iudæis Chriſtum crucifigentib. Et quanta inde bona præſtitit credituris? Qui & ipſo diabolo vtitur peſſimo, ſed optimè.

Quanquã verò Deus etiãnum flagitioſas permittit actiones, quas poſſet impedire; nõ ideo tamen eas ꝓbat, vel peccati author eſt. Sed iis partim punit impios, partim in illis ipſis alieno ſeruitio ſuum opus perficiat. Etenim nouit omnipotens Deus etiã iis, quæ fiunt malè, vti bene; nec interim excuſatur malitia. Cũ nãq; vitã homini Deus conceſſerit, optimo poſtulat iure, animę, corporis & mẽbrorum, in cogitationib. actionib. ac tota eius conuerſatione, motus vſumq;; malitiam verò & vinoſitatem deteſtatur. Sicuti neq; corruptio & prauitas à Deo eſt; ſed homini adhæret vel ex labe ipſi naturæ aſperſa; vel ex malitioſo diaboli inſtinctu. *Cur Deus permittat actiones flagitioſas?*

Aliud ergo Deus agit malorum vtens hominum miniſterio: aliud iſti. Atq; actiones quidẽ illorum Deus vult, non item earundẽ prauitatem. Vti patet in exemplo Ioſephi à fratribus iniuſtè venditi: quod facinus lõgè tamen ad alium & meliorem finem Deus direxit, quàm iſti putârunt: nimirum vt Iacob ſenex cum familia famis tẽpore in Ægypto ſuſtentaretur, *Gen.* 45. Alia igitur prorſus eſt intentio Dei, q̃ hominum, *Eſ.* 55 Sic Iudas ꝓditor ſpectabat argentum, pro exaturanda auaritia ſua: Deus autẽ in illo opere, generis humani prouehebat redemptionem, *Act.* *Iudæ proditio, quomodo à Deo permiſſa?*

„ 4. Quemadmodum enim auriga quiſpiam
„ ad operas vtiles ac neceſſarias, iumentum
„ non rarò adhibet vitioſum, quo ipſe
„ interim bene vtitur: nec tamen impel-
„ lendo illud vel claudicationis vel vitii cu-
„ iuscunque (aliunde in iumento inhęren-
„ tis) author exiſtit, neque vitium probat: Sic
„ malorum hominum ſeruitio, res bonas De-
„ us operatur, ac iure optimo, iuſtiſſiméque ad
„ agendum eos exſtimulat, vt ſuum perficiat
„ opus iuſtum & ſanctum, licèt iſtorum in-
„ terim peruerſitatem ac nequitiam, execre-
„ tur.

Quid ſtatuendum de Pharaonis induratione.

Sunt porrò, qui Deum peccati eſſe authorem ex eo colligunt, quod indurauerit Pharaonem. Id enim ſic iſti interpretantur, quaſi Deus illum reddiderit malum & obſtinatum. Qua in re vehementer errant. Siquidem indurando non efficit Deus operatiuè duritiem, in cordibus humanis; nec malitiam illis inſtillat probatiuè. Abſit. Indurat autem corda in ſeipſis, proprio vitio, dura. Primum, quidem ea non emolliendo; deinde eâdem pluribus occaſionibus optimis (quas negligunt) & reddendo inexcuſabilia, & contumaciam eorum in lucem protrahēdo. Hoc omne ex eo probat *Irenæus lib.* 4. *c.* 48. quod in parabolis locutus ſit iis, *quorum incraſſatum erat cor*, iuxta prophetiam Eſaiæ *cap.* 6. Item ex dicto 2. *Corinth.* 4. quod *Deus huius ſeculi excæcet mentes infidelium, qui ſunt perituri.* Item ab exemplo eorum qui

qui in ſenſum reprobum traditi eſſe dicuntur. Itemque ex dicto, 2. *Theſ.* 2, de immiſſione errorum efficaciũ. Adducit inſuper ille, exemplum ſolis, qui videntes illuminet, ſed quem oculorum vitio laborantes intueri nequeant. Denique ad Pharaonem veniens, ait: *Si igitur & nunc, quotquot ſcit non credituros Deus, cum ſit omnium præcognitor, tradidit eos infidelitati eorum, & auertit faciem ab huiuſmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipſi elegerunt: quid mirum, ſi & tunc nunquam crediturũ Pharaonẽ cum his qui cum eo erant, tradidit eos ſuæ infidelitati?* Auguſtinus autẽ ait: *Ob hoc dicitur eos indurare, quia non miſeretur eorum, non quia impellat vt peccent.* Rurſus idem in Exod. quæſt, 18. inquit: *Videndum ſanè eſt, vtrum etiam ſic accipi poſſit,* Ego indurabo: *tãquam diceret, quam durum ſit demonſtrabo.* Et ibidem quæſt. 32. *Nouit ergo Deus benè vti malis: in quibus tamen, humanam naturam non ad malitiam creat.*

Quomodo De⁹ ab æterno p̃definierit conſpirationem Herodis & Pontii Pilati, &c.

Poſtremo, id mirè exagitatur, quod Deus ab æterno prædefinierit conſpirationem atque tyrannidem Herodis & Pontii Pilati, cum gentibus & populo Iſraël, contra Chriſtum ſuſcipiendam. *Act.* 4. Ac tale eſt argumentum:

Quicquid à manu & æterno conſilio Dei proficiſcitur: id ei imputandum eſt.

Quod ſceleratè egerint Herodes, ac Pilatus cæteriq; Chriſtum crucifigentes, id omne à manu & æterno conſilio Dei profectum eſt. Ergo

Digitized by Google

ipſi Deo imputandum; &, *per conſequens*, *ille mali auctor eſt*.

Vel ſic: *Qui finem conſtituit & approbat: is & media conſtituit & approbat: Sed paſſionē & mortem Filii conſtituerat & approbabat: Ergo etiam media*, hoc eſt, *ſæuitiā Iudæorum*, &c. Reſpondetur dupliciter. Primò, Deum συστατικῶς agere omnia, nō ἀναλυτικῶς, vt homines faciunt. Deinde in maiore diſtinguendum inter media, quæ Deus approbat (ita enim ipſe conſtituit) & media quę execratur, nihilominus ad bonum finem dirigit.

Sed quatuor inſunt termini. Maior enim propoſitio de ꝓuidentia Dei loquitur, malis etiam reb. vtente benè. Et eatenꝰ fuit, quod iſti perpetrarunt, manus & conſilium Dei: non autem quatenus malitioſi iſtorum *affectus* interuenêre, Deo exoſi. Minor verò ꝓpoſitio ſeu aſſumptio, tātum agit de malitia & iniquitate, quæ ex parte iſtorum acceſſit: Sed eam neq; Deus decreuit nec voluit vnquā. Vitioſa igitur eſt, quæ infertur cōcluſio. Nam quatenus Dei fuit illa manus & cōſiliū ęternum, opus illud erat ſanctiſſimū & vnicè ad redemptionē ac ſalutem generis humani deſtinatum. Sed quatenus iſti illud perfecerunt, maximum erat flagitium, ſiue rem, ſiue rei modum ſiue finem ipſis propoſitum ſpectes Vnde etiam *poteſtas tenebrarū* vocatur. Chryſoſt. in Matth. cap. 21. *Non*, inquit, *excitauit eos Deus*, *vt facerent quod antea noluerint*; *ſed vt poſſet facere*, ꝙ *prius volebāt*. *Facultas*

tas eis data eſt, nõ mutata volũtas. Quocircà ſuũ ipſius op⁹ Deus prædefinierat: nõ iſtorũ nequitiã.

Hactenus abundè demonſtratum eſt, non eſſe Deum peccati authorem: nũc etiã oſtẽdemus eum ab omni crudelitate alienũ eſſe.

Quamquam vero Deus non eſt cauſſa mali neq; in Diabolis, nec in homine; crudele tamen videtur, ꝙ quos lapſuros præuidit, non anteuerterit, & quo minus laberentur, præcauerit. Cęterũ non coactè, ſed liberè bonos ſecũdũ imaginẽ ſuã Deus eos eſſe voluit. Et quia de hominis lapſu ꝓcipua eſt q̃ſtio, cogitandũ ingens fuiſſe in illo flagitium, cum nõ minus benè poſſet velle ac facere, quã malè, libero vtiq; ornatus arbitrio: quod cõtra tamen Dei mandatum & contra propriam cõſcientiam, apoſtata factus à Deo deſciuerit, e-ligẽs malum. Deus autem iuſtus & verax ſub cõminatione pœnę grauiſſimè peccatũ prohibuerat: eligenti autem bonum vice verſa, opem ſuam promiſerat & vitam. Non magis ergo crudeliter egit agitq; peccantes deſerens; quam ſi pius quiſpiam princeps, nebulonẽ obſtinatũ, deteſtãdiq; conuictum ſceleris, ac ſatis anteà præmonitũ, iuſto iudicio tradat carnifici ad ſuppliciũ, non cũ liberãs, cũ poſſit; ſaltẽ vt ipſe agat iuſtè, & iſti porrò nocẽdi occaſionẽ amputet. ¶ Cur aũt nõ vni⁹ hominis peccãtis pœnã cõtẽt⁹, ꝑpter v-ni⁹ inobediẽtiã, omnẽ poſteritatẽ implicat, inqes, neq; miſeris parcẽs infantib? Id quidẽ crudelitatis haberet ſpeciem, ſi poſteritas

II. Deus reprobando nõ agit crudeliter.

An propter lapſum Adæ poſteritas portet iniquitatem patris?

foret innocens. Nam *filius non portabit iniquitatem patris*. Ezech. 18. Verum quia eodem Adami lapſu inquinata ac deprauata eſt tota natura, ac poſteritas inde exiſtit vitioſa; nihil illa contra Dei iuſtitiam poteſt prætexere. Si quis, verbi cauſſa, fundum cuipiam elocet, quo & ille & poſteri eius fruantur perpetuò, ſi tamen pacta ſeruent; nonne huic totique eius poſteritati optimo iure iterum fundus eripiatur, promiſſis minimè ſtanti? Nonne & pomum radicem arboris amaram reſipiens, nedum venenati quippiam è radice contractum exhalans, meritò abiiciatur, arbore inſuper exciſa? Sic liberi leproſi, vnà cum parentib. à quibus lepram hauſerint, ſegregantur. Quanto igitur Deus agit iuſtius poſteritatem ſimul ream cum Adamo, eiuſdem vitio contaminatam puniens? Ita Auguſtinus & Alipius ad Paulinum cōtra Pelagianos: *Audeant diſputare, &, quibus poſſunt, perſuadere contendant, Deum iuſtum, apud quem non eſt iniquitas, paruulos peccatis propriis innocentes (ſi nec illo ex Adam obligati & obſtricti ſint) morte perpetua damnaturum*. Et mox: *Illud aſſeuerare, abſurdum & à iuſtitia Dei alienum eſt.*

An crudele, quod Deus Eſauum necdum natum odio habuerit?

Grauior autem & maioris momenti videtur obiectio, de Eſauo, quod eum nondum natum, priuſquam boni vel mali quippiam feciſſet, odio Deus habuerit. Atqui falluntur & impingunt quicumque dictum illud, ad Eſaui aliquam pertrahunt innocentiam, quaſ

quaſi ab omni iſte reatu, coram æterno Dei intuitu, & quidem in vtero matris, immunis fuerit. Perſpicuè enim ac diſertè dicitur, ſic nondum fuiſſe natus, vt in vtero tamen Rebeccæ exiſtens conſideraretur. Deinde nec boni vel mali quippiam feciſſe perhibetur, actu videlic. & opere proprio; ex quo minimè ſequitur peccato originis pollutum ac vitiatum non fuiſſe. Quapropter non aliter, quam in peccato concipiendum ac naſciturum, ab æterno eum Deus intuitus, iuſtiſſimè odio habuit. Quod ſic beatus Auguſtinus Enchirid. ad Laurent. cap. 98. expedit: *Deus Iacobum dilexit per miſericordiam gratuitam, Eſauum odio habuit per iudicium debitum: quod cũ deberetur ambob. in altero alter cognouit, quod in cauſſa eâdem, idem ſuppliciũ non incurrit, nõ ex merito eſſe, ſed de diuina gratiæ largitate. Quod non volentis neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.*

Item: *Ambo itaque gemini, natura filii iræ naſcebantur, nullis quidem operibus propriis, ſed originaliter vinculo damnationis obſtricti.* Et ad Paulinum: *Nulla planè in vtroque opera vel bona vel mala, ſcilicet propria: vterq; autẽ illi vni obnoxius erat, in quo omnes peccauerunt, vt omnes in illo morerentur.* Iterũ ibidẽ: *Porrò, in quo erat natura cõmunis, ab eiꝰ vitio eſt nullus immunis, ſed ambo, qui nondum ꝓpria vel bona vel mala operabantur, rei tamẽ ex origine naſcebantur. Laudet miſericordiam qui liberatur: nõ culpet iudicium qui punitur.*

Hic ſi dixerim⁹, inquit, *quãtomeli⁹ ambo liberarẽtur: nihil cõueniẽti⁹ nobis dicetur, q̃, ô homo, tu quis es qui reſpõdeas Deo?* Ac rurſ⁹: *Quomodo*, inquiũt, *nõ eſt iniquitas apud Deũ, ſi diligendo diſcernit, quos merita opũ nulla diſcernũt? Ita nobis hoc dicitur, tãq̃ id Apoſtolus ipſe non viderit, nõ ꝓpoſuerit, nõ reſpõderit. Vidit vtiq; q̃d his auditis, humana poſſet infirmitas vel ignorãtia cogitare, & eãde quæſtionẽ ſibiipſe ꝓponit. Quid ergo*, inquit, *dicemus? Nũ iniq̃tas apud Deum? Abſit.* Et aliquanto poſt: *Quid nos hic docuit, niſi ex illa maſſa primi hominis, cui meritò mors debetur, nõ ad merita hominum, ſed ad Dei miſericordiã ꝑtinere, q̃ quiſq̃ liberetur: atq; ita nõ eſſe iniq̃tatẽ apud Deũ. Quia neq; remittẽdo neq; exigẽdo q̃d debetur, iniuſt⁹. Ibi.n. gratuita eſt indulgẽtia, vbi iuſta poſſet eſſe vindicta.*

Ac rurſus ibidẽ de figulo & luto, multo euidenti⁹: *Annõ figulus poteſtatẽ habet luti, ex eadẽ maſſa facere, aliud vas in honorẽ, aliud in cõtumeliã? Hæc maſſa*, inquit *ſi eſſet ita media, vt queadmodũ nil boni, ita nec mali aliquid mereretur: nõ fruſtra videretur iniquitas, vt ex ea fierent vaſa in cõtumeliã. Cũ verò ꝑ liberũ arbitriũ primi hominis, in condẽnationẽ vniuerſa defluxerit; ꝓcul dubio ex ea fiũt vaſa, in honorẽ, nõ ipſi⁹ iuſtitiæ, (videlic. hominis) quæ gratiã nulla p̃ceſſit, ſed miſericordiæ Dei. Quod verò in cõtumeliã: nõ iniq̃tati (q̃ abſit apud Deũ) ſed iudicio, deputãdũ eſt. Hæc quiſquis*, inquit, *cũ Eccleſia ſapit: nõ cõtra gratiã ꝓ meritis diſputat.*

Poſtremo quæritur hic, *ſi ergo Deus tã ſit sãctus & iuſtus ac bonus; cur non ita hominẽ con-*

Digitized by Google

liderit, ne peccare poſſet: Ad quod reſpõdetur paucis, verè iuſtũ & ſanctũ à Deo hominem fuiſſe conditũ, ac potuiſſe in ea perſiſtere integritate, nec non à Deo adiutum fuiſſe, niſi ſpontè defeciſſet. Poterat.n.nõ labi, ſi vellet. Ac libero erat ornat⁹ arbitrio, vt liberè (nõ coactè) bonus eſſet, iuxta imaginẽ Dei; q liberrima voluntate ac naturâ bonus eſt. Nec homo aliter conditus, Dei imaginẽ geſtaſſet. Natura igitur bonus erat homo. Quaꝓpter nõ accuſãdus eſt Deus, q hominẽ in imagine ſua (qua nihil ſublimi⁹, nihil prꝫſtabili⁹ vſq̃) creauerit: ſed ipſe culpãdus homo, qui libera voluntate abuſus, & malũ præ bono eligens, tũ imaginẽ Dei amiſit, tum ſeipſum ac totam poſteritatẽ deturpauit perdiditq;. Nulla.n.in Deo vel iniquitas vel crudelitas, ſiue iuſtè peccata puniẽte in reꝓbis & impœnitentib. ſiue miſericorditer ea electis credentib. atq; reſipiſcentibus, condonante. ¶ Atq; hęc hactenꝰ de reꝓbatione dicta piis mẽtib. abũdè ſufficiunt; vſũq; habẽt multiplicẽ. ¶ Primo.n. cõmendãt ſapientiã & omnipotentiã Dei, qui neutro ſuo ſit cõſilio coęterno fruſtratꝰ: neq; creationis, inquã, nec redemptionis humani generis. Nã creauit (vti decreuerat) hominẽ in imagine ſua; natura verè & liberrimè bonũ, ac tal vidit in ſtatu integritatis, cũ cæteris reb. creatis, valdè bonũ: cõdiderat autẽ illũ, ità, ne vel impune ferret ſi libertate illa ſua ad malum abuteretur, vel etiam deſereretur, ſi pſiſtẽs ad bonũ eã cõuerteret: id q *arbor vitæ* teſtabatur.

Deinde ſimul decreuerat, genus humanum

Cum non condiderit hominem Deus, ne poſſet peccare.

Vſus doctrinæ de reprobatione.

(quod in Adamo lapſurum certò præſciuit) lapſu in pœnam præuaricationis permiſſo, & ope ſua iuſtè Adamo malum præ bono eligenti ſubtractâ: partim ſaluare in Chriſto electos miſericorditer, partim verò iuſto iudicio reprobatum punire ſeueriter. Quod ſimiliter Dei conſiliũ immotũ ſtat & inconcuſsũ *Omnis.n. eius ſit voluntas*, vt Eſaias inquit, *nec ipſi reſiſtere quiſquam poteſt*. Secundo elucet ex hiſce ſanctitas Dei & iuſtitia: quod videlicet peccati nec ſit author, nec illud velit probetve, ſed extremè, tanquam rem malam ac vetitam oderit, atque puniat. Item, quod neminem ille ad peccãdum adigat, nec præter iuſtitiam aut crudeliter agat cum quoquam: quippe qui & ipſa vaſa iræ, multa cũ lenitate perferat, antequam iuxta meritum puniantur, *Rom.* 9.

Tertio, ex pœna reproborum iuſtiſſima, & peccatum originale contra Pelagianos, & grauitas ac turpitudo peccati, perſpicitur: vt diſcant homines coram Deo humiliari, eiuſdemque reuereri iudicia & maieſtatem, ac per fidem in Chriſtum, veræ operam dare reſipiſcentiæ, itemque precibus incumbere, ne incidant in iudicium condemnationis, verum ſeruentur & eripiantur à generatione iſta praua. *Rom* 2. *Act.* 2 *verſ.* 38. 39. 40.

Quarto, ac poſtremo admonentur miſerrimo reproborum exemplo pii, de immenſa Dei miſericordia ipſis in Chriſto præſtita: vt excitentur ad perpetuam gratiarum actio-

ctionem. Etenim, cum æquè ac cæteros, iuſtè Deus perdere potuerit & hos; ita eos tamen dilexit, vt daret Filium vnigenitum, in quem credentes ſaluarentur *Iohan.*3.

CAP. III.

De perſona & officio Chriſti Domini ac Saluatoris noſtri.

DE Prædeſtinatione dictum eſt: itemque de electione & reprobatione. Quia verò ſaluandorum electio facta eſt in Chriſto Ieſu ante iacta mundi fundamenta, *Eph.*1. de perſona & officio Ieſu Chriſti tractatio nunc venit ſuſcipienda. *Prædeſtinatio non niſi in Chriſto facta.*

Eſt autem ille, quoad perſonam, coæternus æterni Dei Patris Filius vnigenitus, Deus de Deo, lumen de lumine, genitus, nõ factus, conſubſtantialis patri, per quem omnia facta ſunt. Is autem propter nos homines & propter ſalutem noſtram de cælo deſcendit, & conceptus è Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine, incarnatus ac homo factus eſt. Sicuti Symbolum Nicænum & Apoſtolorum, nec non vniuerſa Scriptura, ſacra teſtatur. *Qui ſit Chriſtus.*

Sciendum ergo & credendum, Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum pariter Deum verum & verum hominem eſſe: & quidem in vna & eâdem hypoſtaſi ſeu perſona: quemadmodum iam antè in primo capite æterna *Chriſtus θεάνθρωπος.*

eius deitas demonſtrata eſt: ac de *humanitate* ipſius iam ſequetur. ❡ Nõ autẽ, vt ab æterno Chriſtus Deus exiſtit, ſic & ab ęterno, homo. *Sed poſt quã venit plenitudo tẽporis, emiſit Deus Filiũ ſuũ, factũ ex muliere. factũ legi obnoxiũ: vt eos qui ſub lege erant redimeret, vt adoptionem conſequeremur*, Galat. 4.

Chriſtus ab æterno Deus: at non ab æterno homo.

Nec ideò tamẽ Chriſtus noua perſona; ſed æterna Filii Dei perſona humanã induit, aſſũpſit & ſibi vniuit naturã. Neq;.n. in deitate Chriſti vlla facta eſt mutatio: nec ille homo factus, deſiit eſſe Deus; verũ Deus pmanẽs immutabilis, in vnitatẽ ſuæ perſonæ ęternę indiſſolubiliter ſibi maſsã humanę naturę abſque peccati cõtaminatione aſſociauit. Hinc illud: *Manſit quod erat & factus eſt quod nõ erat.* Auguſtinus in Ioha. Tract. 8 o. Greg. Nazianzenus in 19. caput Matthæi.

Chriſtus non eſt propter aſſumptam humanitatẽ, noua perſona.

Veritas autem humanæ Chriſti naturę ex multis rerum argumentis euidenter ac manifeſte cognoſcitur.

Argumenta humanitatis Chriſti.

Primo, quia *Verbum caro factum eſt & habitauit in nobis*, Iohan. 1.

Secũdo, quia *natus ex Maria virgine, fructus eſt ventris eius benedictus:* & ipſa vocatur MATER *Domini.* Lucæ 1. 2.

Tertio, *quia ipſe eſt ſemen Abrahæ*, Gal. 3. Hebr. 2. & *Filius Dauidis ſecũdũ carne*, Rõ. 1. Quemadmodum & ipſemet Filium hominis ſeſe profitetur.

Quarto, *quia creuit ætate ac ſapiẽtia donec virile ætatem aſſequeretur*, Lucæ 2. Epheſ. 4.

Quin-

Digitized by Google

Quinto, *carnis & ſanguinis puerorum factus eſt particeps*, Hebr. 2. v. 14. Et ab angelo, *infans*, nominatur. Lucæ 2.

Sexto, *Eſuriit, ſitiuit, cõedit, bibit, lachrymauit, lætatus eſt, dormiuit, expergefactus eſt, ab vno loco in alium tranſiit: ac verè denique in cruce paſſus & mortuus eſt.* Quę cuncta & ſingula humanã eius naturã indicãt & euincũt. Septimo, *poſt mortẽ & reſurrectione ei⁹ viderũt eũ & manib. cõtrectarũt Apoſtoli, cognoſcentes, eũ carnẽ & oſſa habere: ſpiritum non eſſe.* Lucæ 24. Et Act. 10. *Comederũt & biberũt cũ ipſo Apoſtoli poſt reſurrectionẽ eius*: Item Iohan. 21. *Aſcendentẽ etiã in cœlũ iidẽ aſpexerunt*, Act. 1. *Et in cœlis eum, Stephanus ſibi apertis, ſtantẽ vidit ad dexterã Dei*, Act. 7. Deniq; adhuc tãquã verus hominis Filius, apparebit & conſpicietur, in reditu ſuo ad iudiciũ nouiſſimũ glorioſo. *Matth. 24. Luca 21. & Act. 1.*

Etſi verò myſteriũ incarnationis Chriſti omnẽ omniũ angelorũ & hominum ſuperat captũ; quantum fidei tamẽ poſtulat ratio, ità illud in ſacris literis declaratur. Matth. 1, de Maria virgine: *Inuẽta eſt uterũ ferre ex Spiritu ſancto.* Itẽ: *Quod in ea genitũ eſt, è Spiritu ſancto eſt*, Lucæ 1. angelus ad eandẽ, quæ virũ ſe nõ cognouiſſe, aiebat: *Spirit⁹ ſanct⁹ ſuperueniet in te & virtus altiſſimi inũbrabit te: propterea etiã q naſcetur ex te* Sãctũ, *Fili⁹ Dei vocabitur.* Io. 1. *Verbũ caro factum eſt.* 1. Tim. 3. *Sine cõtrouerſia magnũ eſt pietatis myſterium, Deus cõſpicuus factus eſt in carne, iuſtificatus*

Reuelatio myſterii incarnationis Domini.

eſt in Spiritu, conſpectus eſt ab angelis, prædicatus eſt gentibus, fides illi habita eſt in mundo, ſurſum receptus eſt in gloriam. Et Hebr. 2. dicitur: *Non enim vtique angelos aſſumpſit, ſed ſemen Abrahæ aſſumpſit:* Et cap. 4. *Tentatus eſt per omnia, pro ſimilitudine quemadmodum & nos, abſque peccato.*

Explicatio phraſeos: Verbũ caro factum eſt.

Hìc ante omnia phraſis illa pẽſiculãda venit: *Verbum caro factum eſt.*

Verbũ quid?

Nam VERBVM, vt Chryſoſtomus ait Hõ. 3. in Iohannem, *non verbum eſt quod ore profertur, vt verba Dei, quæ iuſſu eius fiunt ab angelis & hominibus: ſed eſt quædam ſubſtantia in perſona, ex ipſo patre ſine paſſione proueniens.* Ac beatus Auguſtinus inquit: *In Verbo agnoſco verum Dei filium, in carne verum hominis Filium, & vtrumq; agnoſco vnam perſonam.* Ità etiam ipſe rem exponit Euangeliſta: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum,* &c.

Caro quid?

Per CARNEM verò, non intelligitur caro peccatrix, qualis iã noſtra eſt in hac naturæ deprauatione, quæ aliâs vocatur *caro peccati,* Rõ. 6. De qua porrò Iohan. 3 verſ. 6. 1. Cor. 15. verſ. 50. Mat. 16. v. 17. Rom. 8. v. 3. 4. 5. &c. c. 7. v. 18. Sed intelligitur hîc caro quidẽ humana, & eadem pura ac ſancta, qualis illa fuit initiò cõdita ſine omni labe peccati. Nã *corpus de Adamo Chriſtus accepit: non peccatũ de Adamo traxit.* Auguſt. in Iohan. Tract. 10.

Caro Chriſti non è cœlo allata.

Nec putãdũ tamen quia caro Chriſti pura & ſancta, ꝙ ideò, nõ ab homine ſit aſſumpta, aut

aut è cœlo aliundè allata: alioqui neq; noſtra eſſet, nec in aliena carne nos liberari potuiſſemus. Sed verè humana eſt, tãquam fructus ventris Mariæ, *Luca* 1. & qualem participant pueri, *Hebr*.11. Sed illa ipſa caro in pueris, ratione naturę corruptę, peccato eſt obnoxia; in Chriſto autem merè ſancta & illibata. *Luca* 1. *verſ*. 35.

Caro Chriſti, non denotat corpus inanime.

Porrò, non cogitandũ hîc corpus aliquod humanũ inanime, ſed eſt caro humana animata, ſeu anima rationali humana, prædita. Contra veterẽ errorẽ Apollinaris, qui animę loco diuinitatẽ eſſe in Chriſto, ſomniabat. Nam animę Chriſti expreſsè fit mentio *Eſa*.53.*v*.11.*Iohan*.10.*v*.17.*Matth*.26.*v*.38.

Caro Chriſti non eſt perſona, ſcilicet in perſona.

Nec proptereà perſonã denotat *caro Chriſti*, quòd animata caro ſit; ſed integrã naturã humanam ſignificat. Neque .n. integra eſſet, niſi animata eſſet. Quod ipſũ vt pleniꝰ intelligatur, ſciendum longè aliã perſonę rationẽ in Chriſto eſſe, q̃ in nobis. Etenim homo cũ anima exiſtẽdi habet initiũ, vt ſit perſona: at Chriſtus non itẽ. Qui ab æterno perſona & ὑφιστάμενον in deitate exiſtit. Siquidẽ perſona erat antequam aſſumpſiſſet naturã humanã: nec deſiit Chriſtus eſſe perſona, carnẽ aſſumẽdo, ſicuti neque noua perſona factus eſt; ſed eâdẽ exiſtens perſona humanã naturam induit, & in carne manifeſtatus eſt. 1. *Tim*.3.

Perſona Chriſti alia, quàm ſit hominum.

Conſolatio ex perſonæ Chriſti cogitatione.

Hęc neceſſaria eſt explicatio, ꝑpter cauſſas grauiſſimas, tàm ad conſolationem piorum pertinentes, quam ad euitandos pernicioſos

errores. Cõſolatio illa eſt, quod pii ex eo certi ſint à Chriſto nunquam ſe iri ſeparatum; quia non perſonam, ſed naturam humanam aſſumpſerit totam ſeu integram. Nam ſi vnicam aſſumpſiſſet perſonam, illa ſola ex toto genere humano in gratiam eſſet recepta, & cõmunione cæteri homines excluderẽtur. Iam verò quia naturam Fili⁹ Dei noſtram aſſumpſit, communis omnium eſt ſalus quotquot credunt, Tit. 2. *Illuxit gratia ſalutifera omnibus hominibus*, &c.

Errorum de perſona Chriſti confutatio.

Samoſatenus.

Neſtorius.

Atque hac ratione confutatur primum error Pauli Samoſateni, Chriſtum ante ſuſceptã carnem non extitiſſe, ſed cũ carne demũ aſſumptâ, eſſendi initium habuiſſe, adeoque temporalem (non æternam) eſſe perſonam, putantis: cum tamen Verbum hoc ſeu perſona τ̃ Λόγε, in principio fuerit apud Deum; non nuper nata, ſed æterna.

Deinde reiicitur eâdem operâ & Neſtorii deliriũ, qui duas in Chriſto pſonas ac duos filios comminiſcebatur: cum tantum ſit vnus mediator Dei & hominũ, homo Ieſus Chriſtus, 1. *Tim.* 2. Tum neceſſaria eſt hęc declaratio, ne ſi perſonam Filius Dei humanã aſſumpſiſſe putetur, in vnitate Deitatis plures tribus perſonæ conſtituantur; adeoque in Deo impiè perſonarum quaternitas fingatur.

Quaternitas in S. Trinitatẽ non inuehenda.

Chriſtus nõ aſſumpſit perſonam humanam.

Quemadmodum verò per verbi incarnationem, non perſona, ſed natura humana aſſumpta eſt; ità neque diuina natura humanã aſſumpſit. Alioqui tam pater & Spiritus ſanctus,

ctus, quam ὁ λόγος Dei Filius, incarnati eſſent: &, per conſequens, etiam paſſi & mortui. Nã diuina natura non vnius perſonæ propria, ſed ſanctæ Trinitatis, hoc eſt, trium perſonarum in Deitate cõmunis eſt. Itaque non diuina natura, ſed ſolus, in ea ὁ λόγος æterni patris coęternus & coëſſentialis Filius, carnẽ, ſeu humanam naturam, aſſumpſit, & homo factus eſt.

Phraſis Factum eſt.

Item porrò deſpiciendum, cum de VERBO & CARNE, quantum res poſtulat dictũ ſit, quomodo accipienda phraſis: *Factum eſt.* Nã variè in ſcripturis hæc locutio accipitur.

Primo igitur de creatione rerum omnium dicitur Iohan. 1. verſ. 3. *Omnia per ipſum* (videlicet Verbũ) *facta ſunt, & ſine illo factum eſt nihil, quod factum eſt.*

Secundo, de mutata rerum natura: ſicuti *aqua* dicitur *vinum facta*, Iohan. 2. 4.

Tertio, *factum eſt*, intelligitur de certis operationibus & effectis. Vt Iohan. 1. *Gratia & veritas per Ieſum Chriſtum facta eſt.*

Quarto de iis dicitur, quę hominum perficiuntur induſtria & operâ. Vt Lucæ 14. *Factũ eſt ſicut mandaſti.* Sic Bezaleel fecit pertinentia ad tentorium Conſtitutionis, *Exod.* 31. Et Gedeon fecit altare Domino, *Iudic.* 6. Huc etiam referri debent, quæcumque occaſione quauis eueniunt. *Lucæ 24. verſ. 4. Et factum eſt, cum mulieres conſternatæ eſſent de iſto, ecce, duo viri ſuperuenerunt*, &c. Pſal. 118. *A Domino factum eſt illud*, &c.

Digitized by Google

Quinto ſumitur eadem locutio de rerum augmento aut diminutione. Vt Lucæ 2. verſ.42. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*. Pſal.33. *Hoſtibus meis opprobrium factus ſum.*

Sed nulla harum interpretationum conuenit huic incarnationis VERBI myſterio.

Sexto autem propius accedit, quod factus eſt, accipitur pro *natus eſt*. Sic Galat. 4. *Deus emiſit Filium ſuum factum de muliere.*

Septimo, propriè demum hæc phraſis, in pręſenti negotio accipitur de vnione perſonali. Queadmodum 1.Cor. 15. dicitur: *Primus Adam factus eſt in animam viuentem, & poſtremus Adam in Spiritum viuificantem.* Hoc igitur ſenſu dicitur: *Et Verbum caro factum eſt.* Siquidem æternum Verbum Patris, nempè Chriſtus, in perſonæ ſuæ vnitatem ſibi copulauit & aſſociauit humanam naturam, nexu indiſſolubili; ſeu, corpus & animam humanam, ſibi vniuit, perſonaliter.

Sic Chryſoſtomus in Iohan Hom.10. *Factum eſt, ſic intellige: non ſubſtantiæ mutationem, ſed veræ carnis acceptionem, vult oſtendere.* Item: *Vnum eſt verbum & caro, non confuſione aut interitu ſubſtantiarum, ſed inexplicabili quadam vnitate.* Et Rom. cap. 1. *Chriſtus, dicitur, factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem.*

Hoc totum verò incarnationis Dominicæ myſte-

Digitized by Google

myſterium duobus in Symbolo Apoſtolorum articulis comprehenditur, nimirum, conceptione & natiuitate Chriſti, in hunc modum: *Conceptus è Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine.* 1. 2.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.

Christus conceptus absq; virili ſemine

C*Onceptio* docet, Chriſtum Dominum, ſine virili ſemine, ac ſine vlla carnalis concupiſcentiæ voluptate, tanquam promiſſum illud ſemen mulieris, per Spiritum ſanctũ, in vtero & ex carne & ſanguine Mariꝗ virginis, admiranda & enarrabili ratione, conceptũ: hoc eſt, virtute & operatione Spiritus ſancti ita conceptum, vt eſſet verus, germanus atq; benedictus ventris Mariæ fructus, *Mat.* 1. ℣. 18. 20. *Luc.* 1. ℣. 34. 35. *Augustinus Enchir. ad Laurent. cap.* 41.

Spiritus ſanctus, non eſt pater Christi.

Neq; tamen ideo Spiritus ſanctus, Chriſti pater eſt, quod ille, ex eo, ſecundum humanitatem, conceptus ſit. Nam primò, quoties Spiritui ſancto tribuitur generatio, ſicuti Matth. 1. dicitur: *Quod genitum in ea eſt, è Spiritu ſancto eſt:* toties de opere Dei ad extrà, intelligi debet. Et quidem in efformatione humanæ Chriſti naturæ (non autem in aſſumptione) tàm Pater & ipſemet Filius, quàm Spiritus ſanctus, cooperati ſunt. Hinc Cyprianus, aut Ruffinus Aquileienſis potius, in Symbolum Apoſtolorum: *Quan*

Digitized by Google

quam ſolus Filius naſcitur ex virgine; attamen adeſt & altiſſimus, adeſt & Spiritus ſanctus, vt & conceptus virginis ſanctificetur & partus. Vide Auguſtinum Enchirid. ad Laurent. c. 30. 38. 40.

Quomodo Christus è Spiritu S. conceptus?

Deinde cum *Chriſtus* dicitur *Conceptus è Spiritu ſancto*: vocula, EX, non ſignificat naturam, eſſentiam aut materiã, ſicuti cum natus ex Maria virgine dicitur, EX vocula intelligenda eſt; ſed cauſam efficiẽtem ſignificat, h. e. Spiritus S. virtutem & operationẽ. Quod ſtudioſè notandum eſt, ne quis è Spiritus S. eſſentia carnem Chriſti ortam ſuſpicetur; qui eſt error Swẽckfeldianorum. Nam ſi ita eſſet, tunc Chriſti caro mera deitas foret, nõ humanitas. Vnde angelus illud (*Spiritus S. ſuperueniet in te*) ſic interpretatur: *Et virtus altiſſimi inumbrabit te.*

Chriſti humanitas ante eius conceptionem nuſquam extitit.

Quapropter conceptio Chriſti, neq; diuinam eius naturam in humanitatem transmutauit, vt ille fieret homo, ſicut antea dictũ eſt: nec extitit vſpiam caro eius ante cõceptionem. Sed ex carne & ſanguine Mariæ ſanctificatis, in ipſo τοῦ Λόγου (non extra Verbum vſquam) per conceptionem efformata, facta & in vnitatẽ perſonæ eius, ratione miraculoſa & ineffabili, aſſumpta eſt atq; coaluit: iuxta immenſam Spiritus S. virtutem & ipſiusmet VERBI ſeu Filii eam aſſumentis omnipotentem operationem. Hîc enim humanitatis Chriſti ſiue creatio ſiue efformatio; itemq; operatio & virtus conceptionis eius,

Digitized by Google

eiús, trium ſimul perſonarũ deitatis cõmunis eſt: ſed ipſa conceptio paſſiuè intellecta, ſeu incarnatio, vnio & coalitio humanitatis cum τοῦ λόγου ſolius perſonæ Filii humanitatem aſſumentis, eſt propria.

Neq; verò quia Chriſtus, quâ homo, ſemen mulieris; ideo in peccato cõceptus aut natus eſt. Abſit. Quanquam .n. ex virgine matre naturam quidẽ & maſſam noſtrã ille (quam bonam ipſe cõdidit) aſſumpſit; nullo modo tamẽ aſperſam peccati labẽ participâuit. Nec difficile fuit omnipotẽti Dei Filio, à natura bona, vitiũ corruptionis, virtute & ſãctificatione Spiritus ſui, diſpeſcere. Quô facit illud Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, Filius Dei vocabitur. Sanctũ*, inquit: nõ, *peccato pollutum.* Quod ſic Auguſt. explicat in Ioh. Tract. 10. *Chriſtus de Adã corpus accepit, nõ de Adã peccatũ traxit. Templũ corporeũ inde ſumpſit, nõ iniquitatẽ, q̃ de tẽplo pellẽda eſt.*

Chriſtus ſine peccati labe conceptus.

Sed neq; quia caro Chriſti creata; idcirco Chriſtus creatura eſt: Tametſi.n. ille non æternus homo, ſed in plenitudine tẽporis ex muliere factus eſt, *Gal.*4.*v.*4. & rectè caro eius in abſtracto conſiderata, diceretur creatura: ęternus tamen ipſe Deus, & æterna deitatis perſona eſt, q̃ increata permanet, quantumuis creatam naturã aſſumpſerit. Neq;.n. aſſumta natura humana pſonã cõſtituit, ſed perſonæ Filii Dei æterni incarnationem.

Chriſtus nõ eſt creatura: propter aſſumptam carnem.

Permagna igitur eſt ratio, cur Chriſtũ dici creaturã Synod⁹ Nicæna orthodoxa illa &

œcumenica, vetuerit. Cum enim Arius iſte blaſphemus, Chriſti negans deitatem, callidè perſonam eius, ab aſſumpta carne, creaturam vocaret: prætextum & patrocinium ſui erroris quærens: grauis fuit cauſſa, phraſin iſtam exterminandi: ne videlicet Chriſtus Dominus, totius vniuerſi creator, in ordinem creaturarum redigi videretur. Ille enim tanquam æternus Dei Filius neque creatus eſt nec factus, verum ab æterno patre ante ſecula genitus, eidemque ὁμοούσιος. Aliud eſt itaq; carnem Chriſti creatam confiteri, quod orthodoxè fit, contra veteres errores Iacobitarũ, Antidicomarianorũ, Eutychianorũ, nec non contra recẽtẽ Swencfeldii & Vbiquitariorum exorbitationem: Aliud item, Chriſti perſonam Dei Filium, dicere creaturam, qui licet incarnatus ſit, non tamen, Deus & mundi conditor eſſe, deſiit, *Johann.*1.*Hebr.*1. Non immeritò igitur in Ario damnatur, quod Filium Dei *creaturam & facturam* nominârit. *Socrates hiſt. Eccleſiaſt. lib.*1.*cap.* 9.*& lib* 2.*cap.*20. Carnem verò Chriſti creatam & factam eſſe, nemo vnquam orthodoxus iuit inficias. Et apud Petrum Lombardum *libr.* 3. *diſt.* 11. iuſta extat hac de re diſputatio, quæ ſic concluditur: *quod non ſimpliciter dicendum ſit, Chriſtum eſſe creaturam, vel factum eſſe: ſed additâ determinatione. Vt, ſi dicatur factus ſecundum carnem, vel ſecũdum hominem; vt factura humanitati, non Deo, attribuatur.*

Non Chriſti creatura: ſed caro eius, creata.

Audia-

Audiamus autẽ hac de re loquentes priſcos patres. Ruffinus Aquileienſis apud Cyprianum de Symbolo, ait: *Huic, quem dudum de patre natum ineffabiliter didiciſti: nũc à Spiritu ſancto fabricatum templum inter ſecreta vteri virginalis, intellige.* Item: *Igitur Spiritus S. dominicæ carnis & templi eius, eſt creator.*

Iohannes Damaſcenus libr. 4. cap. 5. *Ipſa vna hypoſtaſis increata eſt, diuinitate: & creata, humanitate: viſibilis & inuiſibilis.*

Greg. Nazianzenus, de aſſumpta humana natura in Chriſto: *Exiſtens*, inquit, *naſcitur, increatus creatur, intangibilis tangitur.*

Gregorius Nyſſenus libro de vita Moſis: *Natura in quantum ante ſecula fuit, increatum eſt: in quantum corporalem hanc concretionem ſuſcepit creatum factumq; eſt.*

Vigilius Martyr lib. 4. *Idcirco vnicus Dei Filius qui & hominis Filius factus eſt, initium habet ſecundum naturam ſuæ carnis: & initium non habet ſecundum naturam ſuæ deitatis. Creatus eſt ſecundum naturam ſuæ carnis, & increatus ſecundum naturam ſuæ deitatis.*

Quomodo creata Chriſti caro viuifica?

Hic mouetur quæſtio: *Si caro Chriſti creata ſit, quomodo poſſit eſſe viuifica?* Sciendum autem, nunquam ſanctam hanc carnem, in abſtracto conſideratam, extra perſonam τȣ̃ Λόγȣ extitiſſe. Non igitur niſi in concreto, hoc eſt, in vnitate perſonæ Filii Dei dicitur & eſt viuifica: id eſt, Deus incarnatus viuificat. Quod primum eſt. Deinde, viuifica etiã

eſt caro Chriſti, reſpectu meriti, quia pro mundi vita eſt tradita, *Joh.6.*

An caro Chriſti ſit adoranda?

Similis eſt quæſtio de adoratione carnis Chriſti: quam nullo modo negãdam exiſtimamus, idq; propter eandem rationẽ, quod nimirum ſit caro Filii Dei. Neque enim quod vnio perſonalis nexu indiſſolubili copulauit, fide & inuocatione noſtra, diſſoluẽdum eſt. Filius ergo Dei, non abſque carne ſua, ſed in & cum carne ſua, eſt adorandus, tanquam Deus incarnatus. Neque enim Chriſtus & caro eius, duo ſunt, ſed vnus ex vtroque conſtans, vnum hyphiſtamenon, vna perſona, vna hypoſtaſis. Nequaquam igitur orthodoxi, carni Chriſti ſanctiſſimæ, fidem & inuocationem denegant: Sed quãdo carnem Chriſti (vid. in abſtracto conſideratam) non adorandam aliqui dicunt: aliud nihil volunt, quàm oſtendere, carnẽ Chriſti, ſi nuda caro & nuda creatura eſſet, neq; fide nec adoratione colẽdam fore. Item, cauſſam fidei & inuocationis in Chriſto, rectè docet eſſe, non carnem eius, verum deitatem. Niſi enim ille Deus eſſet incarnatus, carnem illam in vnitate perſonæ ſuæ geſtans: propter ſolam certè carnem, neq; adorari nec fiducia in eum collocari poſſet. Iam verò quia Chriſtus Deus eſt, tota eius perſona, ac totũ perſonæ, Deus, vid. & homo ſimul, i. Filius Dei in & cum carne ſua, fide & inuocatione colendus eſt. Quemadmodum in & cum carne aſſumpta, eum adorant omnes angeli Dei,

Hebr.

Digitized by Google

*Heb.*1.*v.*6. Sic Cyrillus de adoratione carnis Chriſti,*c.*26. *Adorat Chriſtus, quia naturam aſſumpſit, quæ debeat adorare: adoratur autem porrò idem, quaſi maior adorante naturâ: eo q̧ intelligitur Deus.* *Adoratione verò*, inquit, *non eſt diuidendus in hominem ſeorſim, & ſeorſim in Deum.* Et mox: *Sed vnum dicimus adorandum, hominem factum & incarnatū Deū.*

Et Iohannes Damaſcenus admodum piè lib.3.cap.7. *Caro eius mortalis erat propter ſeipſam, & viuifica propter vnionē ad verbū ſecundū hypoſtaſin.* It. libr.4.c. 2. *Adoratur vna adoratione cum carne ſua, ab omni creatura.* Et cap. 4. *Caro eius ſecundum naturam inadorabilis eſt, vt creatura: vnita autem Deo verbo, propter ipſum & in ipſo adoratur.* Item: *Non dicimus quod carnem adoremus nudam, ſed carnem Dei, id eſt, incarnatum Deum.* Et lib.3.cap.8. *Timeo carbonem attingere propter ignem ligno coniunctū: adoro Chriſti ſimul vtrumq; propter coniunctā coūnitāq; diuinitatē.* Sed hoc totum breuiori complexu & rotūdius dici poteſt, in hūc modū: Sicut in Chriſtum credere, ita quoq; eum adorare debemus. Credere aūt in ipſum tanq̄ verū Deū & hominē in vna & eâdē hypoſtaſi, debem⁹, & ſecundū vtrāq; naturam ſuam Saluatorē ac mediatorem noſtrū; non ſeorſim credere in Deum, & ſeorſim in hominē. Ergo etiam adorare eum debemus tanq̄ verum Deum & hominē, in vna & eadē perſona, & ſecundū vtramq; naturā ſuam, Saluatorē ac mediato-

rem noſtrum: non ſeorſim adorare Deum, & ſeorſim hominem. Eſt.n. vnus Chriſtus & perſona eius indiuiſa & indiuulſa. Ac perſonā Filii Dei (non hanc aut illam ſeorſim eius naturam) adoramus: ſicuti neque hæc aut illa eius natura eſt mediatrix, ſed vnus mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, 1. *Timoth.* 2.

Chriſtus θε-ἀνθρωπος & vna perſona.

Quanquam verò Chriſtus & Deus & homo eſt; vnus tamen reuerà eſt, non duo: idque propter vnionem hypoſtaticam ſeu perſonalem. Eſt autem vnio perſonalis illa ipſa, ſancta, admirabilis & ineffabilis in conceptione Chriſti facta, æternæ perſonæ Verbi ſeu Filii Dei, cum aſſumpta ab eo naturæ humanæ, in vnum ὑφιστάμενον indiſſolubilis coalitio. De qua Iohann. 1. *Et Verbum caro factum eſt.* 1. Timoth. 3. *Deus manifeſtatus eſt in carne.*

Vnio perſonalis non efficit vnam perſonæ naturam.

Nec tamen vnio perſonalis, inuehit aut efficit, eandem vtriusque naturæ eſſentiam, non magis poſt, quam ante eius exaltationem. Iſta enim eſſet mera naturarum confuſio, qualem veteres Iacobitæ hæretici & Eutychiani cum Monotheletis, ac noſtro ſeculo Swencfeldius & Vbiquitarii, confinxerunt. Vnam igitur perſonam conſtituit, perſonalis vnio, vtriusq; naturæ: non vnam perſonæ eſſentiam aut naturam. Etenim naturæ diſtinctæ ſuis proprietatibus (quas vtrinque ſaluas retinent) permanent. Sic Damaſcenus libr. 3. cap. 15. *Ex vnione identi-*

tas fa-

tas facta eſt ſecundum hypoſtaſin; non tamen differentia naturarum ſublata. Ac Synodus Chalcedonenſis contra Eutycheten: *Confitemur vnum & eundem Ieſum Chriſtum, Filium Dei, dominum & vnigenitum, in duabus naturis, inconfuſè, inconuertibiliter, indiuulsè, & inſeparabiliter manifeſtatum:* [In Græco eſt: ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως.] *haudquaquam differentiâ naturarum propter vnitatem, ſublatâ:* Sed magis vtriuſque naturæ (in vnam perſonam & vnam hypoſtaſin concurrentis) proprietate ſeruatâ.

Non duæ in Chriſto perſonæ.

Porrò neque duas perſonas in Chriſto vnio hypoſtatica conſtituit. Vnica enim perſona Chriſtus manet, etiamſi in ſuam hypoſtaſin maſſam noſtræ naturæ adſciuerit & nexu æterno ſibi vniuerit, Hebr.13. *Chriſtus Ieſus heri & hodie & idem in ſecula.* Quod ſic effert Synodus Chalcedonenſis contra Neſtorium: *Non, vt in duas perſonas bipartiatur aut diuidatur, ſed vt ſit vnus & idem Filius vnigenitus, Deus Verbum, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Sicut de illo vaticinati ſunt olim prophetæ & ipſe nos Chriſtus inſtruxit, atque patrum Symbolum nobis tradidit.

Chriſtus θεάνθρωπος & σαρκοφόρος Θεός: nō deifer homo, nō diuinus homo, nec Deiuir.

Rectè igitur Filius Dei vocatur θεάνθρωπος, rectè etiam σαρκοφόρος θεός: vt Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes & Athanaſius in Oratione maiori de fide, loquuntur. Nam vtcunque ille eſt, videlicet Deus & homo, in vna & eadem æterna ſua hypoſtaſi. Vnde ho-

Quinto ſumitur eadem locutio de rerum augmento aut diminutione. Vt Lucæ 2. verſ. 42. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim.* Pſal. 33. *Hoſtibus meis opprobrium factus ſum.*

Sed nulla harum interpretationum conuenit huic incarnationis VERBI myſterio.

Sexto autem propius accedit, quod factus eſt, accipitur pro *natus eſt*. Sic Galat. 4. *Deus emiſit Filium ſuum factum de muliere.*

Septimo, propriè demum hæc phraſis, in preſenti negotio accipitur de vnione perſonali. Queadmodum 1. Cor. 15. dicitur: *Primus Adam factus eſt in animam viuentem, & poſtremus Adam in Spiritum viuificantem.* Hoc igitur ſenſu dicitur: *Et Verbum caro factum eſt.* Siquidem æternum Verbum Patris, nempè Chriſtus, in perſonæ ſuæ vnitatem ſibi copulauit & aſſociauit humanam naturam, nexu indiſſolubili; ſeu, corpus & animam humanam, ſibi vniuit, perſonaliter.

Sic Chryſoſtomus in Iohan Hom. 10. *Factum eſt, ſic intellige: non ſubſtantiæ mutationem, ſed veræ carnis acceptionem, vult oſtendere.* Item: *Vnum eſt verbum & caro, non confuſione aut interitu ſubſtantiarum, ſed inexplicabili quadam vnitate.* Et Rom. cap. 1. *Chriſtus, dicitur, factus ex ſemine Dauid ſecundum carnem.*

Hoc totum verò incarnationis Dominicæ myſte-

myſterium duobus in Symbolo Apoſtolorum articulis comprehenditur, nimirum, conceptione & natiuitate Chriſti, in hunc modum: *Conceptus è Spiritu ſancto*, 1. *natus ex Maria virgine.* 2.

DE CONCEPTIONE CHRISTI.

Chriſtus conceptus absq; virili ſemine.

C*Onceptio* docet, Chriſtum Dominum, ſine virili ſemine, ac ſine vlla carnalis concupiſcentiæ voluptate, tanquam promiſſum illud ſemen mulieris, per Spiritum ſanctũ, in vtero & ex carne & ſanguine Mariæ virginis, admiranda & enarrabili ratione, conceptũ: hoc eſt, virtute & operatione Spiritus ſancti ita conceptum, vt eſſet verus, germanus atq; benedictus ventris Mariæ fructus, *Mat.* 1. ℣. 18. 20. *Luc.* 1. ℣. 34. 35. *Auguſtinus Enchir. ad Laurent. cap.* 41.

Spiritus ſanctus, non eſt pater Chriſti.

Neq; tamen ideo Spiritus ſanctus, Chriſti pater eſt, quod ille, ex eo, ſecundum humanitatem, conceptus ſit. Nam primò, quoties Spiritui ſancto tribuitur generatio, ſicuti Matth. 1. dicitur: *Quod genitum in ea eſt, è Spiritu ſancto eſt:* toties de opere Dei ad extrà, intelligi debet. Et quidem in efformatione humanæ Chriſti naturæ (non autem in aſſumptione) tàm Pater & ipſemet Filius, quàm Spiritus ſanctus, cooperati ſunt. Hinc Cyprianus, aut Ruffinus Aquileienſis potius, in Symbolum Apoſtolorum: *Quan*

Digitized by Google

quam ſolus Filius naſcitur ex virgine; attamen adeſt & altiſſimus, adeſt & Spiritus ſanctus, vt & conceptus virginis ſanctificetur & partus. Vide Auguſtinum Enchirid. ad Laurent. c. 30. 38. 40.

Quomodo Chriſtus è Spiritu S. conceptus?

Deinde cum *Chriſtus* dicitur *Conceptus è Spiritu ſancto*: vocula, EX, non ſignificat naturam, eſſentiam aut materiã, ſicuti cum natus ex Maria virgine dicitur, EX vocula intelligenda eſt; ſed cauſam efficiẽtem ſignificat, h. e. Spiritus S. virtutem & operationẽ. Quod ſtudioſè notandum eſt, ne quis è Spiritus S. eſſentia carnem Chriſti ortam ſuſpicetur; qui eſt error Swẽckfeldianorum. Nam ſi ita eſſet, tunc Chriſti caro mera deitas foret, nõ humanitas. Vnde angelus illud (*Spiritus S. ſuperueniet in te*) ſic interpretatur: *Et virtus altiſſimi inumbrabit te.*

Chriſti humanitas ante eius conceptionem nuſquam extitit.

Quapropter conceptio Chriſti, neq; diuinam eius naturam in humanitatem transmutauit, vt ille fieret homo, ſicut antea dictũ eſt: nec extitit vſpiam caro eius ante cõceptionem. Sed ex carne & ſanguine Mariæ ſanctificatis, in ipſo τῷ Λόγῳ (non extra Verbum vſquam) per conceptionem efformata, facta & in vnitatẽ perſonæ eius, ratione miraculoſa & ineffabili, aſſumpta eſt atq; coaluit: iuxta immenſam Spiritus S. virtutem & ipſiuſmet VERBI ſeu Filii eam aſſumentis omnipotentem operationem. Hic enim humanitatis Chriſti ſiue creatio ſiue efformatio; itemq; operatio & virtus conceptionis eius,

Digitized by Google

eius, trium ſimul perſonarũ deitatis cõmunis eſt: ſed ipſa conceptio paſſiuè intellecta, ſeu incarnatio, vnio & coalitio humanitatis cum τοῦ Λόγου ſolius perſonæ Filii humanitatem aſſumentis, eſt propria.

Chriſtus ſine peccati labe conceptus.

Neq; verò quia Chriſtus, quâ homo, ſemen mulieris; ideo in peccato cõceptus aut natus eſt. Abſit. Quanquàm .n. ex virgine matre naturam quidẽ & maſſam noſtrã ille (quam bonam ipſe cõdidit) aſſumpſit; nullo modo tamẽ aſperſam peccati labẽ participauit. Nec difficile fuit omnipotẽti Dei Filio, à natura bona, vitiũ corruptionis, virtute & sãctificatione Spiritus ſui, diſpeſcere. Quô facit illud Lucæ 1. *Quod naſcetur ex te ſanctum, Filius Dei vocabitur. Sanctũ,* inquit: nõ, *peccato pollutum.* Quod ſic Auguſt. explicat in Ioh. Tract. 10. *Chriſtus de Adã corpus accepit, nõ de Adã peccatũ traxit. Templũ corporeũ inde ſumpſit, nõ iniquitatẽ, q̃ de tẽplo pellẽda eſt.*

Chriſtus nõ eſt creatura: propter aſſumptam carnem.

Sed neq; quia caro Chriſti creata; idcirco Chriſtus creatura eſt: Tametſi .n. ille non æternus homo, ſed in plenitudine tẽporis ex muliere factus eſt, *Gal.* 4. *v.* 4. & rectè caro eius in abſtracto conſiderata, diceretur creatura: ęternus tamen ipſe Deus, & æterna deitatis perſona eſt, q̃ increata permanet, quantumuis creatam naturã aſſumpſerit. Neq; .n. aſſumpta natura humana pſonã cõſtituit, ſed perſonæ Filii Dei æterni incarnationem.

Permagna igitur eſt ratio, cur Chriſtũ dici creaturã Synod⁹ Nicæna orthodoxa illa &

œcumenica, vetuerit. Cum enim Arius iſte blaſphemus, Chriſti negans deitatem, callidè perſonam eius, ab aſſumpta carne, creaturam vocaret: prætextum & patrocinium ſui erroris quærens: grauis fuit cauſſa, phraſin iſtam exterminandi: ne videlicet Chriſtus Dominus, totius vniuerſi creator, in ordinem creaturarum redigi videretur. Ille enim tanquam æternus Dei Filius neque creatus eſt nec factus, verum ab æterno patre ante ſecula genitus, eidemque ὁμοούσιος.

Non Chriſti creatura: ſed. caro eius, creata.

Aliud eſt itaq; carnem Chriſti creatam confiteri, quod orthodoxè fit, contra veteres errores Iacobitarũ, Antidicomarianorũ, Eutychianorũ, nec non contra recẽtẽ Swencfeldii & Vbiquitariorum exorbitationem: Aliud item, Chriſti perſonam Dei Filium, dicere creaturam, qui licet incarnatus ſit, non tamen, Deus & mundi conditor eſſe, deſiit, *Johann.*1.*Hebr.*1. Non immeritò igitur in Ario damnatur, quod Filium Dei *creaturam & facturam* nominârit. *Socrates hiſt. Eccleſiaſt. lib.*1.*cap.* 9. *& lib.* 2.*cap.*20. Carnem verò Chriſti creatam & factam eſſe, nemo vnquam orthodoxus iuit inficias. Et apud Petrum Lombardum *libr.* 3. *diſt.* 11. iuſta extat hac de re diſputatio, quæ ſic concluditur: *quod non ſimpliciter dicendum ſit, Chriſtum eſſe creaturam, vel factum eſſe: ſed additâ determinatione. Ut, ſi dicatur factus ſecundum carnem, vel ſecũdum hominem; vt factura humanitati, non Deo, attribuatur.*

Digitized by Google

Audiamus auté hac de re loquentes priſcos patres. Ruffinus Aquileienſis apud Cyprianum de Symbolo, ait: *Huic, quem dudum de patre natum ineffabiliter didiciſti: nũc à Spiritu ſancto fabricatum templum inter ſecreta vteri virginalis, intellige.* Item: *Igitur Spiritus S. dominicæ carnis & templi eius, eſt creator.*

Iohannes Damaſcenus libr. 4. cap. 5. *Ipſa vna hypoſtaſis increata eſt, diuinitate: & creata, humanitate: viſibilis & inuiſibilis.*

Greg. Nazianzenus, de aſſumpta humana natura in Chriſto: *Exiſtens*, inquit, *naſcitur, increatus creatur, intangibilis tangitur.*

Gregorius Nyſſenus libro de vita Moſis: *Natura in quantum ante ſecula fuit, increatum eſt: in quantum corporalem hanc concretionem ſuſcepit creatum factumq; eſt.*

Vigilius Martyr lib. 4. *Idcirco vnicus Dei Filius qui & hominis Filius factus eſt, initium habet ſecundum naturam ſuæ carnis: & initium non habet ſecundum naturam ſuæ deitatis. Creatus eſt ſecundum naturam ſuæ carnis, & increatus ſecundum naturam ſuæ deitatis.*

Quomodo creata Chriſti caro viuifica?

Hic mouetur quæſtio: *Si caro Chriſti creata ſit, quomodo poſſit eſſe viuifica?* Sciendum autem, nunquam ſanctam hanc carnem, in abſtracto conſideratam, extra perſonam τȣ̃ λόγȣ extitiſſe. Non igitur niſi in concreto, hoc eſt, in vnitate perſonæ Filii Dei dicitur & eſt viuifica: id eſt, Deus incarnatus viuificat. Quod primum eſt. Deinde, viuifica etiã

Digitized by Google

eſt caro Chriſti, reſpectu meriti, quia pro mundi vita eſt tradita, *Ioh. 6.*

An caro Chriſti ſit adoranda?

Similis eſt quæſtio de adoratione carnis Chriſti: quam nullo modo negãdam exiſtimamus, idq; propter eandem rationẽ, quod nimirum ſit caro Filii Dei. Neque enim quod vnio perſonalis nexu indiſſolubili copulauit, fide & inuocatione noſtra, diſſoluẽdum eſt. Filius ergo Dei, non abſque carne ſua, ſed in & cum carne ſua, eſt adorandus, tanquam Deus incarnatus. Neque enim Chriſtus & caro eius, duo ſunt, ſed vnus ex vtroque conſtans, vnum hyphiſtamenon, vna perſona, vna hypoſtaſis. Nequaquam igitur orthodoxi, carni Chriſti ſanctiſſimæ, fidem & inuocationem denegant: Sed quãdo carnem Chriſti (vid. in abſtracto conſideratam) non adorandam aliqui dicunt: aliud nihil volunt, quàm oſtendere, carnẽ Chriſti, ſi nuda caro & nuda creatura eſſet, neq; fide nec adoratione colẽdam fore. Item, cauſſam fidei & inuocationis in Chriſto, rectè docet eſſe, non carnem eius, verum deitatem. Niſi enim ille Deus eſſet incarnatus, carnem illam in vnitate perſonæ ſuæ geſtans: propter ſolam certè carnem, neq; adorari nec fiducia in eum collocari poſſet. Iam verò quia Chriſtus Deus eſt, tota eius perſona, ac totũ perſonæ, Deus, vid. & homo ſimul, i. Filius Dei in & cum carne ſua, fide & inuocatione colendus eſt. Quemadmodum in & cum carne aſſumpta, eum adorant omnes angeli Dei, *Hebr.*

Digitized by Google

Heb.1.*v*.6. Sic Cyrillus de adoratione carnis Chriſti,*c*.26. *Adorat Chriſtus,quia naturam aſſumpſit,quæ debeat adorare: adoratur autem porrò idem,quaſi maior adorante naturâ: eo q intelligitur Deus. Adoratione verò*, inquit, *non eſt diuidendus in hominem ſeorſim,& ſeorſim in Deum*.Et mox:*Sed vnum dicimus adorandum, hominem factum & incarnatũ Deũ.*

Et Iohannes Damaſcenus admodum piè lib.3.cap.7. *Caro eius mortalis erat propter ſeipſam, & viuifica propter vnionẽ ad verbũ ſecundũ hypoſtaſin*.It. libr.4.c. 2.*Adoratur vna adoratione cum carne ſua, ab omni creatura.* Et cap. 4. *Caro eius ſecundum naturam inadorabilis eſt , vt creatura: vnita autem Deo verbo,propter ipſum & in ipſo adoratur*. Item: *Non dicimus quod carnem adoremus nudam, ſed carnem Dei,id eſt,incarnatum Deum.* Et lib.3.cap.8.*Timeo carbonem attingere propter ignem ligno coniunctũ: adoro Chriſti ſimul vtrumq; propter coniunctã coũnitãq; diuinitatẽ.* Sed hoc totum breuiori complexu & rotũdius dici poteſt,in hũc modũ: Sicut in Chriſtum credere, ita quoq; eum adorare debemus. Credere aũt in ipſum tanq̃ verũ Deũ & hominẽ in vna & eâdẽ hypoſtaſi,debem9, & ſecundũ vtrãq; naturam ſuam Saluatorẽ ac mediatorem noſtrũ; non ſeorſim credere in Deum,& ſeorſim in hominẽ.Ergo etiam adorare eum debemus tanq̃ verum Deum & hominẽ, in vna & eadẽ perſona, & ſecundũ vtramq; naturã ſuam,Saluatorẽ ac mediato-

rem noſtrum: non ſeorſim adorare Deum, & ſeorſim hominem. Eſt.n. vnus Chriſtus & perſona eius indiuiſa & indiuulſa. Ac perſonā Filii Dei (non hanc aut illam ſeorſim eius naturam) adoramus: ſicuti neque hæc aut illa eius natura eſt mediatrix, ſed vnus mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, 1. *Timoth.* 2.

Chriſtus θεάνθρωπος vna perſona.

Quanquam verò Chriſtus & Deus & homo eſt; vnus tamen reuerà eſt, non duo: idque propter vnionem hypoſtaticam ſeu perſonalem. Eſt autem vnio perſonalis illa ipſa, ſancta, admirabilis & ineffabilis in conceptione Chriſti facta, æternæ perſonæ Verbi ſeu Filii Dei, cum aſſumpta ab eo naturæ humanæ, in vnum ὑφιστάμενον indiſſolubilis coalitio. De qua Iohann. 1. *Et Verbum caro factum eſt.* 1. Timoth. 3. *Deus manifeſtatus eſt in carne.*

Vnio perſonalis non efficit vnam perſonæ naturam.

Nec tamen vnio perſonalis, inuehit aut efficit, eandem vtriusque naturæ eſſentiam, non magis poſt, quam ante eius exaltationem. Iſta enim eſſet mera naturarum confuſio, qualem veteres Iacobitæ hæretici & Eutychiani cum Monotheletis, ac noſtro ſeculo Swencfeldius & Vbiquitarii, confinxerunt. Vnam igitur perſonam conſtituit, perſonalis vnio, vtriusq; naturæ: non vnam perſonæ eſſentiam aut naturam. Etenim naturæ diſtinctæ ſuis proprietatibus (quas vtrinque ſaluas retinent) permanent. Sic Damaſcenus libr. 3. cap. 15. *Ex vnione identitas fa-*

tas facta eſt ſecundum hypoſtaſin; non tamen differentia naturarum ſublata. Ac Synodus Chalcedonenſis contra Eutycheten: *Confitemur vnum & eundem Ieſum Chriſtum, Filium Dei, dominum & vnigenitum, in duabus naturis, inconfusè, inconuertibiliter, indiuulsè, & inſeparabiliter manifeſtatum:* [In Græco eſt: ἀσυγχύτως, ἀτρέπτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως.] *haudquaquam differentiâ naturarum propter vnitatem, ſublatâ:* Sed magis vtriuſque naturæ (in vnam perſonam & vnam hypoſtaſin concurrentis) proprietate ſeruatâ.

Porrò neque duas perſonas in Chriſto vnio hypoſtatica conſtituit. Vnica enim perſona Chriſtus manet, etiamſi in ſuam hypoſtaſin maſſam noſtræ naturæ adſciuerit & nexu æterno ſibi vniuerit, Hebr. 13. *Chriſtus Ieſus heri & hodie & idem in ſecula.* Quod ſic effert Synodus Chalcedonenſis contra Neſtorium: *Non, vt in duas perſonas bipartiatur aut diuidatur, ſed vt ſit vnus & idem Filius vnigenitus, Deus Verbum, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Sicut de illo vaticinati ſunt olim prophetæ & ipſe nos Chriſtus inſtruxit, atque patrum Symbolum nobis tradidit.

Non duæ in Chriſto perſonæ.

Rectè igitur Filius Dei vocatur θεάνθρωπος, rectè etiam σαρκοφόρος θεός: vt Ignatius in epiſtola ad Smyrnenſes & Athanaſius in Oratione maiori de fide, loquuntur. Nam vtcunque ille eſt, videlicet Deus & homo, in vna & eadem æterna ſua hypoſtaſi. Vnde ho-

Chriſtus θεάνθρωπος & σαρκοφόρος Θεός: non deifer homo, nec diuinus homo, nec Dei vir.

Digitized by Google

minis quidem hominem ſe fatetur eſſe, ſed Filium ſimul Dei pari honore cum Patre, afficiendum, *Joh.5.v.17.18.19.* Non aũt θεόφορον ἄνθρωπον, vel θεῖον ἄνθρωπον vel θεάνδρα licet appellare: propterea quod natura humana nõ ſuſtentet perſonam τοῦ Λόγου, ſed ab illa ſuſtentetur. Auguſtinus de Fide ad Petrum Diaconum, cap. 2. ait; *Semper incommutabilis manet humanæ naturæ Chriſti veritas, quam ſibi vnitam diuinitas gerit.* Damaſcenus lib.3.c.4. & 9. *Non in propria ſubſiſtentia ſuſtentata eſt verbi Dei caro; ſed in hypoſtaſi verbi ſuſtentata, ſubſiſtit.*

Cæterum nec *Dei-vir* dici debet: id enim virum ſeu perſonam exiſtentem, cum Deo verbo coniunctum innueret more Neſtoriano: cum non perſonam, ſed naturam humanam Chriſtus aſſumpſerit.

Deniq; nec *diuinus homo* dicendus. Id.n. aut carnem non hominis veram, aut carnem diuinis tantum donis exornatam, ſonaret. Vide Cyrillum in Symbolum Nicænum.

An Chriſtus Dei Filius ſecundum vtramq; naturam.

Hic iam attingenda eſt quæſtio: *An pater æternus tantùm ſit Pater Domini Jeſu Chriſti ſecundum diuinam, an verò ſecundum vtramque naturam?* Ac reſpondetur orthodoxè: Chriſtum in vtraq; natura vnum ὑφιστάμενον, eſſe Dei Patris Filium, Nec impedit aſſumpta natura Filiationem; ſicuti nec eandem efficit. Non autem ſecundum vel iuxta vtramq; naturam, Filius Dei eſſe, ſimpliciter dici, poteſt,: quia vox *ſecundum* vel *iuxta*, eſt ſenſus

ſenſus ambigui. Nam humanitas Chriſti, nō ſicut diuinitas, ex patre genita eſt, opere Dei Patris (vt vocant) ad intra; ſed illa Spiritus S. virtute in Maria virgine genita eſt, tanquam benedictus ventris eius fructus, opere Dei ad extra: non ab æterno, ſed in plenitudine temporis, *Mat.* 1. *Gal.* 4. Hinc Petrus Lombardus libr. 3. diſt. 10. concedit, *Chriſtum ſecundum vtramq; naturam eſſe Dei Filium: ſi tamen vox* SECVNDVM, *ſit expreſſiua vnitatis perſonæ, nō autem, ſi conditionem aut proprietatem naturæ ſignificet.*

Vſi etiam ſunt ad exprimendam vnionem hypoſtaticam, priſci Patres phraſi Λογοποιΐας & Θεοποιΐας: vt nimirum oſtenderent, cur homo Chriſtus ſimul ſit verus Deus? videlicet, quia cum perſona æterni verbi vnitus & verè ſit æterni Dei Filius: non ψιλὸς ἄνθρωπος. Nunquam verò has locutiones vel intellexerunt illi, vel interpretati ſunt (vt nunc ab Vbiquitariis detorquentur) de tali aliqua Chriſti exaltatione, qua humanitas eius diuinitati ſit exæquata; aut qua ſint in eam omnes diuinæ naturæ proprietates tranſlatę. Sic enim Iohannes Damaſcenus libr. 4. cap. 19. *propter vnionem ſecundum hypoſtaſin, & caro Deificari & D*EVS *fieri & ſimul* DEVS *cum verbo, dicitur: Et* DEVS *verbum incarnari & caro fieri & creatura dicitur, & nouiſſimus vocatur. Non*, inquit, *vt duabus naturis mutatis in vnam naturam compoſitam* (nam impoſſibile

Λογοποιΐα & Θεοποιΐα.

Non Chriſtus, ψιλὸς ἄνθρωπος.

eſt in vna natura ſimul aduerſantia naturalia conſiſtere) *ſed, vt duabus naturis ſecundum hypoſtaſin vnitis & in ſeipſis immãſionem habẽtibus inconfuſam & immutabilem.*

Similitudo animæ & corporis: itẽ carbonis & ferri igniti.

Huc pertinent ſimilitudines, ad declarãdam hanc vnionem ὑποστατικὴν, ab orthodoxa antiquitate adhibitæ: Vt animæ & corporis in perſona hominis vnitorum: Quam adducit Athanaſius in Symbolo. Carbonis item igniti & ferri candidi: quas vſurpant Cyrillus Alexand. Iohannes Damaſc. & alii. De quibus tamen ſingulis, vt rectè iudicemus, notanda eſt regula Iuſtini Martyris in expoſitione Fidei: *Quod ſimile non ſit idem, ac proinde rei ipſi tantum congruat, ſecundum aliquid.*

Vnio hypoſtatica & perſonalis.

Quanquam verò tutiſſimum eſt, de tanta re cum Scripturis loqui: ſicuti Iohannes dicit, *Verbum caro factum eſt*. Et Hebr. 2. *ſemen Abrahæ Chriſtus aſſũpſit*. 1. Io. 4. *venit in carne*, Phil. 2. *aſſumpſit formam ſerui*. Col. 2. ✝. 9. *Inhabitat in eo omnis plenitudo deitatis* 1. Timoth. 3. *Deus in carne manifeſtatus eſt*, &c. Attamen, propter hæreticorum varietatem & importunitatem & alias inuenerunt phraſes priſci Scriptores. Leo Epiſcopus ſerm. 3. de paſchate, *hypoſtaticam vnionem* vocat *vnitatem vtriuſq; naturæ*. Baſilius ait, *humanam Filii Dei carnẽ participem factam eſſe deitatis*: non tamen *ipſam factam deitatem* Cyprianus de cardinalibus Chriſti operibus, capite de natiuitate Chriſti, inquit: *Diuinitas &*

tas & humanitas in vnam perſonam conuenerunt. Alii (vt annotat Damaſcenus lib. 3. cap. 8.) *inſeſſionem in ſe inuicem & communicationem naturarum, quinetiam mixtionem, κρᾶσιν, coniunctionem & conformationem, dixerunt.* Apud eundem reperitur etiam vox *commeationis* libro 3. cap. 19. Scholaſtici non malè nec ineptè vocant, *Gratiam vnionis.* Lombard. lib 3. diſtinct. 9. c. *An Chriſtus, ſecundum quod homo ſit Filius Dei adoptiuus?* Auguſtin. Enchir. ad Laurent. cap. 36. Sed hę & ſimiles locutiones iuxta Scripturam ſanctam & normam orthodoxę Fidei ſobriè explicandæ ſunt.

Notentur autem, de myſterio vnionis hypoſtaticę duarum in Chriſto naturarum, regulæ ſequentes.

Prima. *Vnio perſonalis non commutat vnam naturam in alteram: neq; ex duabus commixtis tertiam efficit: ſed vtramq; coniungit in vnam hypoſtaſin.* Damaſcenus libr. 3. cap. 8. 17. 19. *Regula de vnione hypoſtatica.*

Secunda. *Proprietatum deletio, vtriusq; eſt naturæ negatio.* Theodoretus dial. 3. exempla Synodica contra Monotheletas.

Tertia. *In vnitate perſonæ Chriſti, eſt* ALIVD & ALIVD: *non autem Alius &* ALIVS. Nam, *aliud, natura eſt: alius verò ὑποστάσεως.* Damaſc. lib. 3. c. 7.

Quarta. *Totus Chriſtus Deus eſt: & totus Chriſtus homo eſt: Sed non totum Chriſti Deus, nec totum Chriſti homo.* Nam TOTVM

Digitized by Google

eſt naturæ repræſentatiuum: TOTVS autem ὑποστάτως. *Damaſcenus lib.3.c.7.*

Quinta. *Vnio perſonalis non inuehit quartam perſonã in Trinitate diuina: ſed relinquit vnam perſonam* Verbi *& carnis eius.* Nam Trinitas manſit Trinitas, etiam poſt Verbi incarnationem, *Damaſc.lib* 1 *c.*8.

Communio ſeu communicatio idiomatum.

Hiſce hactenus conſtitutis, agendum nunc de κοινωνίᾳ τῶν ἰδιωμάτων. Dicitur autem recepta Eccleſiæ phraſi *communicatio idiomatum*, cum vel à diuina ſua natura Chriſtus appellatur, *Deus benedictus in ſecula*, & ſic deinceps: vel ab humana, *homo Jeſus Chriſtus, Filius hominis, Filius Dauidis*, &c. Eſtq; hic mos loquendi in S. literis vſitatiſſimus, vt realiter ac verè, toti perſonæ Chriſti tribuatur in cõcreto, quod tamen aut ſolius diuinę, aut ſoli⁹ humanę eſt naturę idioma, ſeu ꝓprietas, in Abſtracto, vel ſeorſim cõſideratæ. Vt Lucæ 1. *Sanctũ quod naſcetur ex te Filius Dei vocabitur.* Act. 20. *Deus acquiſiuit Eccleſiam ſuo ſanguine.* 1. Cor. 2. *Si cognouiſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent.* Ioh. 3. *Nemo aſcendit in cælum, niſi qui de cælo deſcẽdit, Filius hominis qui eſt in cælo.*

Concretum & abſtractum.

Sciendum verò, quid ſibi velint, *Concretum & Abſtractum*, & cur *idiomatum cõmunicatio, nunquam in abſtracto ſed tantum in Concreto fieri dicatur?* Sunt. n. hę phraſes theologicæ tàm in Eccleſia quàm in ſcholis receptæ. Et *Concretum* totã perſonã Chriſti ex vtraq; conſtantem natura denotat, ſeu ipsũ hyphi-

hyphiſtamenon. *Abſtractum* verò vnius aut alterius naturæ, nomen eſt: aut deitatis aut humanitatis. Nec ita tamen hoc accipiendũ, quaſi naturæ in Chriſto, hæc aut illa, abſtractæ aut ſeparatæ ſint vnquã; ſed ꝙ vtraq; natura cũ ſuis proprietatib. ſeorſim cõſideretur. Quẽadmodũ Rõ. 1. dicitur: *Chriſtus filius Dei factus ex ſemine Dauidis ſecundũ carnẽ, & potenter demõſtratus Filius Dei per Spiritũ S. ex reſurrectione mortuorũ.* Id quod ſic interpretatur Damaſc. lib. 3. c. 11. *Quod igitur natura verbi (i. Deus in perſona Filii) incarnata eſt, id eſt, carni vnita: dictum eſt: Naturam autem Verbi paſſam carne, nondum nunc vſque audiuimus: at Chriſtum carne paſſum, edocti ſumus.* Et mox: *Quod Deus homo factus eſt, & homo Deus: dictum eſt: Deus enim qui Verbum eſt, homo intransmutabiliter factus eſt. Quod autem deitas homo facta ſit, aut incarnata, aut humanata; nullo pacto audiuimus. At quod deitas vnita ſit humanitati in vna ſuiipſius hypoſtaſeωn, didicimus. Item Deitatẽ, patrem ſolum aut Filium ſolum, aut ſolum Spiritum ſanctum, non audiuimus: deitas enim naturam oſtendit, pater verò* ὑπόστασιν. *Deus autem & commune natura ſignificat, & vnamquamq; hypoſtaſeωn denominat. Iam quia vni naturæ ſeorſim conſideratæ, nunquam Scriptura tribuit vel aſſignat, quod ſit alterius: in Concreto (nõ in Abſtracto) communicationem idiomatum fieri, rectè & orthodoxè, affirmatur. Sic neque paſſam aut mortuam eſſe*

Chriſti deitatem, nec vbiq; aut infinitam eius eſſe humanitatem, Spiritus ſanctus vnquam dixit: In concreto autem, hoc eſt, *de tota perſona pronunciauit*, Ducem vitæ trucidatum & Dominum gloriæ crucifixum, & Filium hominis qui de cælo deſcenderat; in cælis, eſſe.

Idioma autem ſignificat naturæ vel huius vel illius proprietatem eſſentialem atque συςαλικήν. Sic diuinæ ſunt naturæ idiomata: deitas, æternitas, omnipotentia, vbique præſentem & infinitum, & ſpiritum eſſe increatum, omniſcium, creatorem & conſeruatorem totius vniuerſi. Atque huc referenda ſunt omnia Dei attributa, quid videlicet & quem ſe natura ſua eſſe, in verbo ſuo patefecerit. Cum verò humanitas ex anima conſtet atque corpore; animæ primum ſunt idiomata, creatum, incorporeum, inuiſibile, incompoſitum ſeu ſimplex, & immortale. Deinde corporis proprietates illæ ſunt: partium corporis ſymmetria, & dimenſiones, item compoſitum, circumſcriptum, viſibile, tangibile, mortale, & reliqua vniuerſa quibuscunque corpus ab eſſentia ſpirituali diſtinguitur, & quæ humano ſeorſim corpori conueniunt.

Eſt igitur, verbi cauſſa, communicatio idiomatum, quod de perſona Chriſti in concreto, Petrus ait Actor. 2. *Ducem vitæ trucidaſtis.* Et Paulus 1. Corinth. 2. *Si cognouiſſent, Dominum gloriæ non crucifixiſſent.* Hic enim de tota

de tota Chriſti perſona, propter hypoſtaticam vtriusque naturæ vnionem, rectè dicuntur: ſiquidem hæc perſona tam eſt verus homo, quàm verus Deus: licèt *trucidari & crucifigi*, non vtriusque naturæ, ſed humanę tantùm, ſit proprietas. Reales igitur & veræ ſunt illæ propoſitiones in concreto per communicationem idiomatum. Eodem verò idiomata, in abſtracto, humanæ tantùm naturæ ſeorſim conſideratæ Petrus aſſignat 1. Epiſtolæ c. 2. & 4. inquiens: *Paſſus eſt carne.* Sic in concreto *Chriſtus*, nunc vocatur *Filius Dei*, nunc *Filius hominis*, quoad perſonam: ſed in abſtracto, dicitur è ſemine Dauid ſecundum carnem, vt humanæ naturæ ſeorſim conſideratæ ſua peculiaris aſſignetur proprietas. Sic Apoſtolus, quod in cõcreto dixit de Chriſto, 2. Corinth 5. *Qui pro vobis mortuus eſt & reſurrexit*: illud in abstracto reſoluit, ſuum vtrique naturæ idioma tribuens, cum ait 1. Corinth. 13. *Crucifixus ex infirmitate, viuit ex potentia Dei.* Item 1. Pet. 3. *Mortificatus carne, viuificatus autem ſpiritu.*

Et conſtat veritas harum enunciationum de perſona Chriſti in concreto: non quod vel naturæ ipſæ vel earundem proprietates permiſceantur: ſed quod hæc perſona ſimul Deus & homo ſit. Iam ſiue *Deus* dicatur *paßus & mortuus*, veriſſimum eſt; quia Chriſtus verus in carne ſeu humanitate ſua, id ſuſtinuit: ſiue Filius hominis dicatur ſimul

in cælo & in his terris eſſe, itidem veriſſi-
mum eſt; ſiquidem hic hominis Filius ſimu
Deus, vbique eſt ſua deitate. Sic hom
Chriſtus vitam habet in ſemetipſo, ſicut pa
ter, non propter humanitatem; ſed quia ſ
imul Deus & Patri coæqualis eſt. Ac notand
diligenter hîc ſunt regulæ ſequentes:

Regulæ de communicatione idiomatum.

Prima, Differunt inter ſe, *Communicati
naturarum, quæ eſt gratia vnionis ſeu vnio per
ſonalis*: Et, *Communicatio idiomatum*, qu
vel perſonā Chriſti, modò ab humana, mo
dò à diuina natura, nominat, vel eidem per
ſonæ certas alterutrius tantum naturæ pro
prias aſſignat operationes, in concreto, ve
deniq; eaſdem diſtinguit, cuiq; naturæ ſu
ſeorſim attribuēs idiomata, in abſtracto: Et
Communicatio donorum, quę pertinet ad hu
manæ Chriſti naturæ prærogatiuam & ex
celſitatem ſupra omnes creaturas.

Secunda, Cōmunicatio idiomatum, ne
duas in Chriſto naturas permiſcet, nec vn
in alteram commutat, nec alteram alteri æ
qualem, ac multò minus ex vtraq; vel eand
vel tertiam aliquam facit: alioqui non am
plius duæ naturæ eſſent. Numerus .n. eſt re
rum differentium; ſiquidem impoſſibile fo
ret, numerari ea, quæ ſecundum nihil diffe
runt, *Damaſc. lib. 3. c. 8.*

Tertia, Nomina officii Mediatoris, ne
vni nec alteri ſeorſim naturæ; ſed toti eiu
perſonæ tribuenda ſunt. Vt, *Jeſus, Chriſtu
Mediator, Rex, Sacerdos, Judex*, &c.

Quar

Quarta, Quoniam duæ Chriſti naturæ ſunt, duas eiuſdem naturales & voluntates & actiones, rectè dicimus. At verò, quia duarum quoque naturarum ipſius, vna hypoſtaſis eſt: vnum & eundem adſtruimus, & volẽtem & agentem naturaliter, ſecundum ambas naturas, *Damaſc.lib.3.c.14.*

Quinta, Duæ naturæ vnus eſt Chriſtus: & vnus Chriſtus duæ naturæ. Idem ergo eſt dicere: Agit Chriſtus ſecundum vtramque ſuiipſius naturarum, & agit vtraq; in Chriſto natura, cum alterius communicatione, *Damaſc.lib.3.c.19.*

Sexta, Vnam Chriſti dei-virilem actionẽ dicentes, duas naturarum eius actiones intelligimus: diuinitatis quidem eius diuinam, & humanitatis eius humanam actionem, *Damaſc.lib.3.c.14.*

Septima, Oportet excelſa attribuere, diuinæ & meliori naturæ paſſionibus & corpore: Humilia verò humanæ: & communia compoſito, id eſt, vni Chriſto, qui eſt Deus & homo, *Damaſc. lib. 3.c. 4.lib.4.c.19. Cyrillus libr. 5. de Trinitate. Fulgentius ad Thraſimundum libr. 3. Item de incarnatione Christi libr. 2.*

Octaua, Actiones Chriſti in duabus eius naturis perſonaliter vnitis, vſitata Eccleſiæ conſuetudine dici ſolent, ἀποτελέσματα, i. effectiones: item, ἐνέργειαι θεανδρικαὶ, id eſt, actiones dei-viriles: quia videl. aliæ diuinæ ſunt, aliæ humanæ.

Digitized by Google

Nona, Communicatio idiomatum aliis atque aliis nominibus appellatur. Nazianzenus vocat ἐπίζευξιν appellationum: Theodoretus, ἐναλλαγὴν nominũ: Caſſianus, συνεκδοχὴν: Damaſcen⁹, ἀντίδοσιν, ἀλλοίωσιν ὀνομάτων & περιφέρασιν, *lib.3.cap.19.*

DE NATIVITATE CHRISTI.

Maria virgo peperit Deũ, ſeu Dei Filiũ non hominẽ nudum.

DIctum eſt hucuſque de perſona Chriſti quantum articulus conceptionis eius ſecundum humanam naturam è Spiritu ſancto, poſtulat: nunc addenda etiam paucula quædam de natiuitate eius ex Maria virgine. Tenendum verò ante omnia, tametſi humana tantum Chriſti natura, è virginis matris beatiſſimæ ſubſtantia aſſumpta eſt; non illam tamen ſolam, vt ψιλὸν ἄνθρωπον, ſed vnitam hypoſtaticè τῷ Λόγῳ, ex ea natam eſſe: adeoque beatam virginem verè peperiſſe Dei Filium, ſicuti & angelus futurum prædixerat, & Symbolum Apoſtolicum profitetur.

An Maria Chriſtipara.

Rectè igitur & verè *Maria virgo* dicitur θεοτόκος ac *Dei-para*: ſiquidem perſonam τοῦ Λόγου incarnati illa peperit, non hominem nudum, ſeu (vt cum Eccleſia loquimur) nudam in abſtracto humanam naturam. *Chriſtiparam* verò eam dici, vetat Damaſcenus *libr.3.cap.12.* Idque propterea, quod Neſtorius duas in Chriſto perſonas comminiſcẽs, vocem iſtam ad ſui erroris patrocinium, ad-

inue-

Digitized by Google

inuenerit. Idem ibidem: *Si autem ipſe qui ex muliere natus eſt, Deus eſt: vnus eſt profectò, qui ex Deo patre natus eſt ſecundum diuinam & ſine initio ſubſtantiam: & qui in nouiſſimis temporib. ex virgine natus eſt, ſecundum initium habentem & temporalem ſubſtantiam, id eſt, humanam.*

Nec ideo tamen deitas Chriſti ortum ex Maria temporalem, aut initium, accepit. Ait enim Damaſcenus: *Deum dicimus ex ipſa natum eſſe, non vt diuinitate principium verbi* (vt verbum eſſet) *ex ea accipiente: ſed vt ipſo Dei verbo ante ſecula ſine initio ex patre genito, & ſine initio ſempiternéq; exiſtente cum patre & Spiritu ſancto, in nouiſſimis temporibus propter noſtram ſalutem, in vtero eius inhabitante, & ex ipſa incommutabiliter incarnato & genito.* Sic Auguſtinus contra Felicianum cap. 12. *Genuit ergo Maria, & non genuit, Filium Dei. Genuit quando ex ipſa ſecũdum carnem natus eſt Chriſtus: non genuit, quando de patre ſine initio extitit Filius. Genuit, quando ex hac Verbum caro proceſſit, vt habitaret in nobis: non genuit, quando in principio erat Deus Verbum, quod originem præſtitit vniuerſis. Nolite ergo,* inquit, *partu virginis determinare originem* Verbi Dei: *Nolite de virgine genitum corpus, coæternum dicere deitati.*

Chriſti Domini Deitas ex Maria ortum non habet.

Quod autem aliqui ſomniant, ſi Dei verbum & Filius ex partu materno initium nõ habeat, tunc non aliter per illam quam per

Maria non carnalis, ſed mater, Domini.

canalem τὸν Λόγον tranſiiſſe: id falſum omnino eſt. Vere enim peperit beata virgo æternum ante ſecula exiſtentem Dei Filium, ſed in vtero ipſius incarnatum: ita, vt partu ederet nō alienū, ſed proprii ventris ſui fructum benedictum. Quò accommodat Damaſcenus dictum Apoſtoli Galat. 4. *Miſit Deus Filium factum ex muliere.* Additque: *non dixit per mulierem, ſed ex muliere.* Et mox: *Natus quidem corporaliter ſecundum quod homo factus eſt. Non in præplaſmato homine inhabitans, quemadmodum in prophetis: ſed ipſe ſubſtantialiter & veraciter factus homo, id eſt, in ſua hypoſtaſi, animatam carnem anima rationali & intellectuali, oſtentans, & ipſe factus eſt illi hypoſtaſis. Hoc enim deſignat natum ex muliere.*

Maria mater Domini ante & poſt partum, virgo illibata.

Poſtremò, nec propterea virgo mater, deſiit eſſe virgo, quod pepererit: non magis quàm per conceptionem. Neque enim ruptura vel recluſio ſeu reſolutio vteri ex partu, virginitatem tollit; ſed ea duntaxat, quæ fit congreſſu & cōſuetudine viri. Quod interim clauſo vtero, beata virgo pepererit, teſtibus duabus obſtetricibus, quarum vni, Zebele videlicet, & Salome dictæ manus admota, propter incredulitatem exaruerit, ſed poſtea credenti reſtituta ſit, &c. Hoc totum ſuis authoribus relinquendum. Sacra autem Scriptura nil tale habet: partum & purgationis dies & ſacrificium ſeu oblationem, iuxta legem puerperarum, beatę matri

tri tribuens, virginitatem nuſquam tamen ei adimens, *Luc.*2.

DE OFFICIO CHRISTI.

Chriſtus mediator inter Deum & homines.

ASſumpſit autem carnem Chriſtus Dominus & homo factus eſt, vt faceret officium mediatoris inter Deum & genus humanum in peccata prolapſum, & placaret iram Dei, credentesq; cum Deo recõciliatos, iuſtificaret, ſanctificaret, redimeret, glorificaret atq; ſaluos faceret, *Eph.*2.*v.*14. 1.*Tim.*2.*v.*5.*Heb.*8.*v.*6.*c.*9.*v.*15.*c.*10.*v.*24.

Chriſtus mediator ſecundum vtramque naturã.

Porrò mediatoris peregit munus, nõ tantum (quod falsò docuerunt Scholaſtici & Stancarus) ſecundum humanam naturam, ſed ſecundum vtramq;. Vide *Sent.libr.*3.*diſt.*19. Quod hiſce tribus probatur rationibus:

Primò, quod nomina officii, non vni aut alteri ſeorſim naturæ, ſed toti perſonæ in ſacris literis tribuantur. 1.

Secundò, quod in perſona Chriſti, ante incarnationem eius, non minus facta ab æterno ſit electio, quàm poſt incarnationem, redemptio, *Eph.*1. 2.

Tertiò, quod diuina Chriſti natura, in mediatoris officio adeo nõ fuerit ocioſa, vt aſſumptam humanitatem in paſſione ac morte tàm horribili, ſuſtentarit, eamq; à morte erutam, ad gloriam cæleſtem euexerit. 3.

Etſi verò obiici ſolet, neminem ſuiipſius

Quomodo Chriſtus ſui-ipſius mediator?

poſſe mediatorem eſſe, ac proinde ne Chriſtum quidem ſecundum diuinitatem ſuam, quà ipſemet eſt pars offenſa; tamen eatenus duntaxat id conceditur, quatenus pars læſa implacabiliter offenſam retinet.

Atqui Filius Dei cedens de ſuo iure, & pro genere humano ipſemet ſatisfaciens, partes noſtras apud Patrem egit & adiuuit.

Solus Filius mediator: nõ pater nec Spiritus S.

Coloß. 1. *verſ.* 20. 2. *Cor.* 5. *verſ.* 19. Et quanquam ſaluatio generis humani opus Dei eſt ad extra, trium deitatis perſonarum commune: ſolus tamen Filius obit partes mediatoris: nec aliter ſaluat pater cum Spiritu S. quenquam, niſi per Filium, *Matth.* 11. *Johan.* 14. *Roman.* 3. *verſ.* 25. *Actor.* 4. *verſ.* 1. Cum verò vnus dicitur eſſe Deus & vnus mediator Dei & hominum, homo Ieſus Chriſtus, *1. Timoth.* 2. vox hominis, non eſt tam naturæ (quaſi diceretur humanitas) quàm perſonæ appellatio, in concreto: ſiquidem perſona Chriſti, ſimul Deus eſt & homo.

Officium mediatoris quale?

Impleuit autem mediatoris partes Chriſtus, primum intercedẽdo, *Johann.* 17. ℣ſ. 9. *Hebræor.* 5. ℣ſ. 7. *cap.* 7. ℣ſ. 25. *cap.* 9. ℣ſ. 24. *Lucæ* 22. ℣ſ. 32. Deinde ſatisfaciendo, *Pſal.* 69. ℣ſ. 5. *Marci* 10. ℣ſ. 4. 5. *Johann.* 10. ℣ſ. 11. *Actor.* 20. ℣ſ. 28. 1. *Corinth.* 6. ℣ſ. 20. 2. *Corinth.* 5. ℣ſ. 15. 1. *Petr.* 1. ℣. 18. 19. Tertiò & ſanctificando, *Johan.* 17. ℣. 19. *cap.* 7. ℣. 38. *Rom.* 8. ℣. 9. 1. *Cor.* 6. ℣. 11.

An ſit iuſtũ, inſontem pro ſontibus plectere?

Quæritur hoc loci, quomodo conſtet iuſtitia ſua Deo in Chriſto ſatisfaciente pro nobis,

Digitized by Google

nobis, inſontẽ pro reis punienti? Ac reſpõdetur hoc modo: Nõ cogitationibus humanis iuſtitiã Dei nos metiri debere, ſed eã, ex verbo & patefacta voluntate eius, perdiſcendam eſſe. Docet aũt verbũ Dei de iuſtitia legis, ꝙ nemo portare debeat alterius iniquitatẽ, ſed anima ipſa quæ peccauerit, mori, *Ez.* 18.33. At ſecundum iuſtitiam Dei reuelatam ex fide in fidem placuit Deo, vt Filius patri ſponte ſe offerens & obœdiens, victima fieret ac pateretur pro genere humano. Neque hoc legi aduerſatur: ſiquidem volenti non fit iniuria, *Pſalm.* 40. *Eſa.* 53. *Johann.* 10. *Romanor.* 5. *v.* 19. *cap.* 8. *verſ.* 3. 1. *Corinth.* 15. *v.* 22. 1. *Pet.* 3. *v.* 18. 19. Et iuſtum eſt alioqui quicquid Deus facit, qui eſt ipſa iuſtitia, licet omnem iuſtitiæ eius rationem, non ſatis aſſequantur homines, *Rom.* 11.

Porrò propter mediatoris officium, Filius Dei vocatur *Jeſus Chriſtus*: id eſt, *Saluator, Unctus*. Et ſunt qui deductum putent nomen Ieſu ab ἰάομαι, id eſt, ſano: vnde ἴημα & ἰητήρ, Dialecto Ionica. Sed non eſt dubium, quin ſeptuaginta interpretes in Veteri Teſtamento, ad imitationem vocis *Iehoſua* in Græca tranſlatione poſuerint nomen Ἰησοῦς: quod iã in nouo Teſtamento retinetur. Nõ autem ex more vulgi, aut præter ſingularem rationem hoc nomen Chriſto Domino tribuitur: quemadmodum idem nominis fuit Syracidæ. Nec typicè: ſicuti Moyſis ſucceſſor, *Iehoſua* dictus eſt, & magnus ille ſacer- *Nomen* IESV.

dos, *Zach.*3. Verum Dei Filius κατ' ἐξοχὴν vocatur *Ieſus*, idque propriè & peculiariter officii ſui ratione: quod *ſaluet populum ſuum a peccatis*, Matth.1. verſ.21. Actor.4. verſ.11.12. Hebr.4. verſ.8.14. Iohann.8. verſ.36. Saluat autem hic Ieſus, merito ſuo & efficacia. Quia non ſolum per mortem crucis ſeſe pro peccatis humani generis, obtulit ſacrificium expiatorium: ſed etiam accendit & excitat in electis, Fidem, totamq; regenerationem, per Spiritum ſanctum, vt in ipſo ſint noua creatura. Deinde remittit peccata ſimul cum reatu ac pœnam aufert, Iohann.1. verſ.29. 1.Iohan.1. *Sanguis Ieſu Chriſti purgat nos ab omni peccato.* Deniq; populi ſui ſaluator ille eſt, nimirum totius Eccleſiæ fidelium, & ſingulorum eius membrorum, *Act.*8.℣.24.37.*cap.*10.℣.43.*Iohan.*3.℣.36.*Iohan.*8.℣.24.

Abuſus nominis Ieſu.

Hîc verò taxanda primum eſt eorum ſuperſtitio, qui nudę voci ac pronunciationi nominis *Ieſu*, vim ineſſe putant viuificã, quę vis in perſona potius & officio Ieſu, quam in prolato ſono nominis, quærenda eſt.

Deinde & leuitas eorum perſtringenda, qui nomine *Ieſu*, ad riſum & iocos, temerè contra tertium decalogi pręceptum, abutũtur. Tum deniq; *Ieſuitarum* & quorumvis ſimiliũ, ſiue põtificiorũ ſiue catabaptiſtarum reiiciẽda hypocriſis; qui ſub inuolucro ac tegumento huius tàm auguſti nominis fermentum ſuum de propriis meritis, contra

Domi-

Dominum Ieſum & officium eius, plauſibiliter venditant. Poſtremò prophanitas eorum damnanda, qui ſub fidei in Ieſum prætextu impie & nomine *Ieſu* indignè viuunt, ipſis Phariſęis hypocritis & hoſtibus Chriſti deteriores.

Ad nomen verò Chriſti quod attinet, ideo vnctus dicitur, Dei Filius, quod oleo lætitiæ ſit vnctus præ conſortib. ſuis, & q; ſit verus ille propheta magnus, vnicus itē ille Sacerdos magnus, & rex denique ille æternus, olim populo Dei promiſſus. Cuius duntaxat geſsêre typum, cęteri prophetæ, ſacerdotes & reges Iſraëlis, *Deut.*18 ℣.8. *Ioh.* 1.℣. 45. *Pſ.* 45.℣.8. *Eſ.*61.℣.1. *Ioh.*3.℣.31.34. *Heb.*7.9. *Nomen* CHRISTI.

Solenniter autem vngebantur olim Sacerdotes, vti videre eſt *Ex.*40.℣.15. ac ꝓphetæ, quale exēplū ſeſe offert in hiſtoria Heliç & Heliſæi, 1. *Reg.*19.*v.*15 16. Deniq; & Reges, 1. *Sam.*10.*v.* 1. 1. *Sam.*16.*v.*14. 1. *Reg.*1. & 2. *Reg.* 9. Fuit enim ea primum cōmonefactio de vero Meſſia ſeu vncto, nēpe Chriſto Domino, & cōmuni omniū, in ipſo, credentium vnctione per Spiritum S. 1. *Io.*2.*v.*27. & *Io.*7. *v.*38.39. Vide Auguſt. in Pſ.104. *Nolite tangere Chriſtos meos*, &c. *In qua vnctione figurabatur*, inquit, *vnus verus Chriſtus: cui dictū eſt*, Vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participib. tuis. *Vnde illi iam tunc Chriſti appellabantur.* *Vnctionis ritus.*

Deinde Sacerdotes, Prophetę & reges, hoc ritu de vocatione ſua facti certiores, ad faci-

endum alacriter & cordatè officium ſibi demandatum, excitabantur.

Tertiò, quemadmodum vnctio externa, corporis efficit mēbra agiliora, & boni præſtat odoris fragrantiam: ſic eo quoque ritu, illi confirmabantur, quo minus dubitarent, ſe in vocatione legitima, donis neceſſariis exornatum & adiutum iri.

Quid Sacerdos? Cæterum in veteri Teſtamento erant Sacerdos ſummus, & alii inferioris ordinis ſacerdotes, ad peragenda ſacrificia, & preces atque doctrinam verbi Dei cultusque diuini reliqua miniſteria perficienda, deſtinati. Ac differebat à cæteris rem diuinam facientibus primum Sacerdos ſummus, maioris eminentiæ gradu & prærogatiua.

Deinde typum gerebat Chriſti venturi tanquam vnici pontificis ęterni. Tum ſemel ille quotannis cum ſanguine victimæ in ſanctuarium ingrediebatur. Ac denique per omnem vitam hoc munere fungebatur: cæteris quinquageſimo ætatis anno abrogatis & rude donatis. At in nouo Teſtamento ſacerdotium Aaronicum ceſſat penitus: eſtq; ſolus & vnicus ſummus & æternus Sacerdos, ſecundum ordinem Melchizedeci, Dominus noſter Ieſus Chriſtus. *Hebr. 7. verſ. 21. 23. 24.* &c. Ceſſantibus enim ſacrificiis legalibus, externum quoque ſacerdotum deſiit miniſterium: ac falsò Pontificii ſacrificuli, nomen ſacerdotiū ſibi vendicant. Omnes interim Chriſti fideles facti ſunt ſacerdotes

& reges

& reges, at coram Deo & vnctione merè ſpirituali: non externo & publico ſacrificandi miniſterio, *Apoc.* 5.℣.10. *Heb.* 7.℣.13.14.

Prophetæ olim erant perſonæ immediatè à Deo vocatæ ac miſſæ, ad cultus diuini & Eccleſiæ ac reipubl. extraordinariam reformationem: itemque ad vaticinia de Chriſto & regno eius, variisq; rebus aliis, vel ad benedictionem vel ad pœnam ſpectantibus, continuanda & illuſtranda: erantque illi peculiaribus donis & miraculis inſtructi, quibus vocationem ſuam, populo Dei, comprobarent. Sed in nouo Teſtamento, Propheta primum ille magnus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus, *Johan.* 7. *verſ.* 40. Deinde appellantur etiam *Prophetæ* omnes legitimè vocati & ſynceri verbi diuini præcones & interpretes, 1. *Cor.* 14. *Quid Prophetæ?*

Reges politicum in populo Dei magiſtratum gerebant; ad eam vocati & euecti eminentiam, vt Eccleſiam Dei protegerent ac tuerentur: rempublicam bonis & honeſtis legibus adminiſtrarent, & ſubditos contra vim iniuſtam defenderent, *Deuter.* 17. 1. *Sam.* 8.10. *Pſ.* 2. 1. *Tim.* 2. *Quid Reges?*

Quanquam verò externa vnctionis cæremonia, quæ typica fuit & vmbratilis in Chriſtum regem prophetam atque pontificem noſtrum non cadit; ſiquidem ipſe veritas eſt: attamen complementum illius cęremoniæ totum in ipſo ſpectatur: quippe quē pater vnxerit & Spiritus S. plenè ac perfectè, *Quomodo Chriſtus vnctus?*

Digitized by Google

adeoq; Dominum & vnctum generi humano Saluatorem exhibuerit.

Chriſtus propheta. Propheticum aũt obiit munus, docendo Euangelium; reformando cultum; ac voluntatem patris ſui cæleſtis, tum per verbi doctrinam patefaciendo, tum illuſtribus miraculis comprobando; deniq; & ſanctitatis exẽplum perfectiſſimum in tota vitæ ſuæ cõuerſatione credentibus præbendo. *Chriſtus põtifex.* Summi inſuper Sacerdotis pręſtitit officium, offerendo ſemel in cruce, ſeipſum ſacrificium ἱλαστικὸν ad ſatisfaciẽdum iuſtitiæ Dei pro peccatis humani generis, & ad illud redimendum: itemque orando & interpellando apud Patrem cæleſtem pro tota Eccleſia, *Iohann.1.verſ.17. Hebræor.5.verſ.7.* *Chriſtus Rex.* Rex denique eſt, ſed non more ſeculi huius: verum quatenus veritati teſtimonium perhibet; & quatenus Eccleſię tanquam regni ſui ſpiritualis caput eſt ac dominus, Spiritu ſancto & verbi miniſterio eam regens, propagans & conſeruans in hac vita, in futuro aũt ſeculo, ęterna eandem beatitate & gloria coronans, *Iohann.1.verſ.50.Item 6.10.17.& cap.18.verſ.37.*

Vnde credẽtes appellẽtur Chriſtiani. Fiunt autem vnctionis Chriſti participes cuncti credentes: vnde & *Chriſtiani* appellãtur: quo nomine Antiochię primum inſigniri cœperũt, cum antea vocarentur *diſcipuli Domini*, Act.9. & 11. Et ob eandem cauſam *pii* Pſ.105. vncti ipſius Dei, dicuntur. Vncti ergo illi ſunt, primò quatenus per fidem Chriſto

Chriſto vniuntur, *Ioh.* 17. Deinde, quatenus vnctionem illam Spiritus Chriſti in ſeſe manentẽ retinent, *Io.* 14.1. *Io.* 2.27. Tertiò, quatenus, vt prophetæ nomen Chriſti, auxiliãte Spiritu eius, profitẽtur, *Mat.* 10.22.1. *Cor.* 12. Quartò, quatenus vt ſacerdotes, cum ſeipſos tùm preces & eleẽmoſynas & ſimilia ſacrificia λογικὰ, Deo offerunt, *Rõ.* 12.1. Quintò, quatenus vt reges dominantur, pugnantes contra diabolum & regnum eius, mundum videl. impium cum tota iſtius ἀξίᾳ & carne peccatrice prauisq; concupiſcentiis: hoſtes vtiq; Chriſti regis & regni ei⁹ infenſiſſimos. Sextò, quatenus in altera vita futuri ſeculi, regnũ cęleſtis glorię ac felicitatis, cum Chriſto rege, in ęternum ſunt poſſeſſuri, *Luc.* 22. *v.* 29. 2. *Tim.* 2. *v.* 11. 2.

Chriſtus eſt Dominus.

Quod autẽ Chriſtus & vnctus hic noſter etiam Dominus noſter dicitur: id duplici de cauſa fit iuſtiſſimè. Primùm ratione diuinæ eius naturæ: quia verus Deus, adeoque cum patre ac Spiritu S. vnus ille eſt Dominus, 1. *Cor.* 8. *v.* 5. 6. *Iohan.* 1.5. *Eph.* 4. *Coloſſ.* 1. *Hebr.* 1. 1. *Cor.* 15. *v.* 47. Secundò ratione officii mediatoris, quod ſit caput Eccleſiæ, à Deo factus dominus & Chriſtus, *Act.* 2. *v.* 36. *Eph.* 1. *cap.* 4. *v.* 5. 1. *Cor.* 12. *v.* 3. ¶ Porrò verò vniuerſam officii Domini ac ſaluatoris noſtri Ieſu Chriſti rationem, duplici ei⁹ ſtatu, Scriptura metitur & complectitur: humiliationis videlicet vno, & altero exaltationis; vel (qđ perinde eſt) mortis eius & reſurrecti-

Duplex Chriſti ſtatus.

Digitized by Google

onis, *Mat.16.v.21. Lucæ 18.v.31.32.33. 1.Cor. 15.v.1.2.3.4. Phil.2.v.5 6.7.8.9. Col.2.v.14.15. Ephes.4.v.8.9. 1.Tim.3.v.16. Eſ.53.per totum caput.*

Iam ad ſtatum humiliationis Chriſti, hi ſunt referendi fidei noſtrę articuli: quod homo ſit factus, conceptus è Spiritu ſancto & natus ex Maria Virgine, vti dictum antea: quod ſit paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus ac ſepultus, ad infernumq; deſcēderit. Ad ſtatum verò exaltationis Chriſti pertinet: quod tertio poſt ſepulturam die reſurrexit à mortuis, adſcenderit ad cælos, ſedeat ad dextram Dei Patris omnipotentis, vnde venturus eſt ad iudicandum viuos ac mortuos: Quemadmodum ex ordine deinceps videbimus.

DE STATV HVMILIATIONIS CHRISTI.

Chriſti paſſio per circumſtantias conſiderata.

PRincipio Chriſti paſſio, crux & mors, per circumſtantias conſideranda venit.

Quis ergo paſſus? Ieſus Chriſtus vtique Filius ille Dei vnigenitus Dominus noſter, qui conceptus eſt è Spiritu ſancto, natus ex Maria virgine. Nimirum verus Deus, vt ſufficiens eſſet pro redemptione generis humani ἀντίλυτρον, tanquam ſummum ipſe bonum, offenſo per peccata hominum ſummo bono ſatisfaciens, vtque vita æterna ipſe exiſtens,

ſtens, mortem æternam abolere. Deinde idem verus etiam homo eſt, abſque omni labe peccati purus & ſanctus; nequid propriæ culpæ ipſi eſſet expiandum, ſed vt primo Adamo peccatori, poſtremus Adam ſanctus ille Dominus de cælo, opponeretur; & quemadmodum per iſtum vnum peccatum & mors in mundum introiit, ità per hũc vnum iuſtitia & vita reſtitueretur. *Nullum enim aliud ſub cælo nomen datum, nec in alio quoquam eſt ſalus*: Act. 4. 1. Cor. 15.

Secundo, *quid ille in paſſione ſua ſuſtinuit?* Non vincula modò & contumelias, odium, perſecutionem, labores, ſudorem ſanguinis, illuſionem, ſputum, alapas, flagellationem, coronam ſpineam, & crucis ignominioſiſſimum ad mortem vſque ſupplicium, & internam denique animę luctam, afflictionem ac triſtitiam extremam: ſed etiam ſenſum iræ Dei, ac pœnas vniuerſas peccatis humani generis debitas, cum ipſis inferni horrorib. & anguſtiis. *Eſa.* 53. *v.* 4. 6. 8. *Pſal.* 22. 69. 88. *verſ.* 8. 16. 17. *Act.* 2. *Gal.* 3. *verſ.* 13.

Tertio, *vbi verò paſſus eſt?* Non vbique nec ſimul diuerſis in locis: verum Hieroſolymis. Extra vrbem primo captus, deinde intra vrbem iniuſtè flagellatus, ſpinis coronatus & condemnatus, tum extra vrbem in loco caluariæ crucifixus atq; trucidatus: vt typus ſacrificii expiatorii extra caſtra combuſti, in ipſò, compleretur. *Leuit.* 16. *Num.* 19. *verſ.* 3. *Heb.* 13.

Digitized by Google

Quarto, *quib. auxiliis*? Solus & vnus Chriſtus hanc tantum paſſionem ſuſtinuit: quam ei cumulârant peccata noſtra; & Iudæorum crudelitas, Pilatiq; impietas hoc effecerũt, vt Chriſtus crucifigeretur. Nemo autem eũ vel iuuit, vel in cruce ſubleuauit; ſed ſol⁹ torcular calcauit, *Eſa.* 63. Et quanquam diuina Chriſti natura omnis paſſionis expers eſt, vnde in paſſione ei⁹, quieuiſſe, ab Irenæo dicitur; verè tamen is paſſus eſt (ſed in carne perſonaliter aſſũpta) q Filius Dei eſt vnigenitus: vt rectè dicatur, *Deus eſſe mortuus, dux vitæ trucidatus, & Dominus gloriæ crucifixus.* Natura interim Chriſti diuina, licèt à paſſione immunis, adeo tamen non quieuit aut otioſa fuit, vt ſimul ſuſtentaret omnia, & aſſũptam perſonaliter humanam naturam ſuã, in paſſione ac morte tam atroci, non ſineret in nihilũ redigi, ſed conſeruaret atq; in integrum reſtitueret. Id quod nudæ alicui creaturæ, quinetiam coniunctis vniuerſis, fuiſſet impoſſibile. Ita fit, vt tãetſi in morte Chriſti, anima eius à corpore ſepararetur: nequaquam tamen vel anima vel corpus eius à diuinitate eius diuulſa, aut diremptio vel diſſolutio perſonalis vnionis, facta ſit.

Quinto, *cur paſſus?* Vt patri æterno morem gereret, *Philip.* 2. vtque ſatisfaceret iuſtitiæ Dei ꝓ peccatis mundi, *Pſal.* 69. *v.* 5. *Eſa.* 53. item, vt placaret & auerteret ab hominibus, iram Dei, tolleret maledictum legis, reconciliaret genus humanum Deo, & redimeret

meret illud ad ſalutem æternam, *Gal.3.Rom.3.5.Hebr.4.Marci 10.verſ.45.2.Cor.5.verſ.18.19.Epheſ.2.verſ.16.Coloſſ.1.verſ.19.20.Iohan.6.verſ.51.* Deinde paſſus eſt, vt ipſius veſtigiis pii inſiſtant, ad crucem poſt ipſum ferēdam, vocati, 1.*Petr.*2. Ac poſtremo, vt iidem carnem ſuam peccatricem cum concupiſcētiis crucifigant, *Gal.6.Rom.*8.

Sexto, *quomodo paſſus?* *Carne*, inquit Petrus 1. Epiſtolæ *cap.* 2.4. id eſt, paſſus eſt corpore & anima: & quidem crucis mortem, *Matth.26.Philip.*2. Item, ſuſpenſus fuit inter duos latrones: felle potatus & aceto: ſed oſſibus (vt reſponderet typo agni paſchalis) neutiquam fractis. Acceſſerunt, inſuper, maxima miracula: vtpote, eclipſis ſolis ac tenebræ præter naturam inſolitæ, item terræ motus, ſciſſio veli in templo & rupturæ petrarum, &c. Denique paſſus eſt, ipſo teſte Pilato, innocentiſſimè: ac porrò etiam patientiſſimè, ſimul orans pro inimicis, *Eſa.53.7.Lucæ 23.& 1.Pet.3.verſ.*18. Poſtremo, paſſus eſt conſtantiſſimè ad plenam vſque conſummationem: commendans Spiritum ſuum in manus æterni patris.

Septimo, *quando paſſus eſt?* Anno ætatis ſuæ triceſimo quarto, ſub Imper. Tiberio, tempore Pontii Pilati Pręſidis Iudęæ: qui miſerrimè poſteà extinctus eſt ſub Imp. Caio Caligula. *Euſeb. lib.2.cap.2.5.6.* Etſi verò morte crucis paſſionem ſuam conſummauit Chriſtus; tamen huc etiam referri

debet, totus humiliationis eius ſtatus; inde ab incarnatione ad mortem vſque. Quot enim & quantas interim contumelias, perſecutiones, difficultates, exantlauit? Quod omne, ꝑpter nos de cælo deſcendens, noſtræ ſalutis cauſſa in ſe recepit ac pertulit: vt eſt in Symbolo Nicæno & *Eſa.* 53. Et quāquam ſemel tantum paſſus ac mortuus eſſe dicitur *Rom.* 6. *Hebr.* 9. quicquid tamen per totam vitam ſuſtinuit, huc etiam eſt conferendum. Nam ſemel quidem paſſus eſt, quoad conſummationem in cruce: ſcilicet ideò nō excluditur quicquid ad id vſq; temporis, perpeſſus eſt.

Octauò, *pro quibus ergo paſſus eſt*? Non pro ſeipſo, quippè in quo peccati nihil repertum; ſed noſtras ille pertulit infirmitates, *Eſa.* 53. & 1. *Iohan.* 2. dicitur, *Aduocatum habemus apud patrem, Ieſum Chriſtum iuſtum. Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: nec pro noſtris ſolum, ſed etiam pro totius mundi.*

Hìc moueri ſolet quæſtio: *Si pro omnibus paſſus ſit Chriſtus: cur non ſaluentur omnes?* Et reſponſio eſt minimè ambigua vel intricata. Non ideò non ſaluari omnes, quod paſſio Domini non ſit in communi noſtra omnium conſummata maſſa; quis enim hoc eat inficias? Neque quod ad omnes non pertineat, cum ſit omnium commune donum ac beneficium. Multoque minus quod fortè pro omnibus hęc paſſio non ſit ſufficiens: quis enim ſanctisfactionem plenam Chriſti me-

ſti merito derogare auſit? Verum ob hanc ſolam cauſam nō ſaluantur omnes, quod ſoli electi Chriſtum fide recipiant: cæteris eum repudiantibus. Quid enim porrecta prodeſt medicina repudianti? Quę tamen vtentibus apprimè eſt conducibilis atque ſalubris.

Quocircà propitiatio & ſacrificium communiter omnibus per Euangelium offeruntur: ſed efficacia & virtus ad ſolos pertingit electos & credentes: quemadmodum fides etiam electorum Dei tantum eſt.

Nec ſacrificium pro omnibus licet peractū, oratione Chriſti mundo impio, ſed diſcipulis tantum & credentibus, applicatur. Itaq;, quoad lytron ſufficiens, pro totius mūdi peccatis paſſus eſt Chriſtus, 1. *Iohā.* 2. quoad verò ſalutis effectum, ad redemptionem pro multis vitam ſuam tradidit, *Marci* 10. hoc eſt, pro cunctis modo credentibus, pro quibus etiam ſolis orauit, *Iohan.* 17. Et hi quidem in Chriſto electi ſunt, *Epheſ.* 1. Atq; horum in cordibus teſtatur Spiritus Dei cum ſpiritu eorum, quod ipſi ſint filii Dei, *Rom.* 8. Vt enim commune omnium cœlum & terra, ſoliſq; & aëris, beneficium, &c. nec omnibus tamen æque illa ſalubria: ſic paſſionis, mortis & ſacrificii Chriſti commune eſt totiꝰ generi humani donum, in cōmuni naturę noſtræ maſſa præſtitum: ſed non ſalutis effectus omnium communis eſt. Quamobrem? Quia neq; oratio precum ſeu interceſſionis

Digitized by Google

Chriſti, nec fidei applicatio, omnium communis eſt. Sic omnium communis vocatio Euangelii, ſed non communis omnium electio. Ac proinde quibusdam Euangelium odor vitæ ad vitam, cęteris verò odor mortis ad mortem.

Deus, paſſus. Porrò quanquam, in carne, Dei Filius paſſus eſt, 1. *Pet.*4. non ideo tamen non paſſus eſt Deus: ſiquidem in propria ſua, non in aliena carne, Deus paſſus eſt, hoc eſt, Filius Dei incarnatus. *Tam anima, quam corpore, paſſus.* Nec quia carne paſſus eſt, nil ſenſit anima eius: nam carnem ponit Petrus carne animata, id eſt, tota Chriſti humanitate. Quemadmodum Verbum caro factũ dicitur, *Iohan.*1. Chriſti verò animam quoque paſſam fuiſſe, liquet ex *Eſa.*53.*verſ.*11.12. & *Matth.* 26. *v.*38. item ex triſtiſſima Chriſti lucta in horto, & clamore in cruce, &c.

Non tota Trinitas paſſa. Et quamquã Deus Eccleſiam acquiſiuiſſe dicitur ſanguine ſuo *Act.*29. non ideò tamen tota Trinitas paſſa eſt: non, inquam, Pater & Spiritus ſanctus paſſi, ſed ſolus Filius. Siquidem nulla in deitate perſona, carnem & ſanguinem in ſua ipſius hypoſtaſi habet aut effudit, præter ſolum Filium. Vnde vox Dei, Act. 20. verſ. 8. de perſona Filii accipienda, quemadmodum etiam 2. *Corinth.*5. *verſ.*19. Totam, enim, Trinitatem paſſam eſſe, error fuit, Auguſtino teſte, Patris-paſſianorum.

Vnica Chriſti victima ſufficiens. Vltimo, tametſi plura fuerunt ſacrificia propitiatoria in veteri Teſtamento; attamẽ vnica Chriſti victima ad placandum generi huma-

humano Deum, ſufficit. Nam diuerſa illa & plura olim ſacrificia typica fuêre: & reſpexerunt ea cuncta ac ſingula ad verum & vnicũ Christi ſacrificium in cruce peragendum æternam redemptionem afferẽs. Hoc enim ſolo veteris Teſtamẽti conſummantur ac finiuntur vniuerſa, *Heb. 4. verſ. 16. cap. 7. verſ. 27. cap. 9. verſ. 11.*

Chriſti mors & eiuſdem meditatio.

Vt verò mortẽ Saluatoris piè cõtemplemur ac meditemur, cogitandum, in primis, quid ſit mors? Illa namque aut temporaria eſt, aut æterna. Temporariam ſic definit Damaſcenus, lib. 4. cap. 28, quod ſit *præſentis vitæ finis, per animæ à corpore ſeparationem*. In quam ſententiam & Paulus: *Cupio diſſolui & eſſe cum Chriſto*, Philippenſ. 1. Ac de diuite Lucæ 12. *Stulte, hac nocte repetent abs te animam tuam.* Verum hęc mors non eſt durabilis, propter certò ſecuturam carnis reſurrectionem; aut ad vitam, aut ad iudicium. *Iohann. 5.* Sed æterna mors horrenda demũ eſt diuulſio & ſeparatio corporis & animæ ſimul, ab ipſo Deo ac beatitate cœleſti, & condemnatio ad cruciatus gehennę nunquam finiendos. Iſthæc alias vocatur *mors ſecunda*, vt *Apocal. 21. verſ. 8.* Item, *mors rodens, & manſio in inferno*, Pſal. 49. v. 15. Et, *vermis non moriens igniſque inextinguibilis*, Eſa. 66. Atque hoc vocat Chriſtus *mori in peccatis*, Iohan. 8.

Mors duplex: temporaria & æterna.

Duplex ratio mortis Chriſti.

Iam ad Chriſtum Dominum, quod attinet, vtramque ille hanc mortem deguſtauit.

Digitized by Google

Senſit enim reuera horrores ac dolores inferni: quemadmodum & animam exſpirauit per mortem temporariam. Sed vtramq; etiam mortem ſuperauit; vt plena eſſet noſtra redemptio: ac ne propter vllum peccatum noſtrum non expiatum, in ſepulchro ille detineretur. *Act.* 2. 1. *Corinth.* 15. *verſ.* 54. 55. 56. 57.

Cur Chriſtus mortuus.

1. Propter iuſtitiam.

Neceſſe autem fuit mori Chriſtum pro peccatis noſtris; partim propter iuſtitiam DEI, partimque propter eius veritatem. Primò, propter iuſtitiam Dei: quia peccatum, in nobis, inde ab Adamo, regnârat ad mortem, iuſto Dei iudicio, peccatoribus deſtinatam pœnam. *Geneſ.* 2. *verſ.* 17. *cap.* 3. *verſ.* 19. *Rom.* 5. *verſ.* 12. 18. 21. *Rom.* 6 *verſ.* 21. *Hebr.* 9. *verſ.* 15. Nec poterat, alia ratione, ab vllis aut etiam cunctis creaturis, iuſtitiæ diuinæ ſatisfieri ad liberandum genus humanum, niſi ſola morte Filii vnigeniti θεανθρώπου. Deinde, hac ſola ratione, iuſtitiam coram Deo, cunctis credentibus Chriſtus impetrauit: qui non poſſent aliter coram Deo conſiſtere. Tum neque ſanctitas Dei permittit, vt cuiuſquam ipſe miſereatur contra iuſtitiam: ſicuti neque contra iuſtitiam ille, pro omnipotentia ſua crudeliter cum quoquam agit. Id enim tyrannorum eſt contra ius, æquitatem & honeſtatem, potentiâ ſuâ abutentium, iuxta illud: *Sic volo ſic iubeo; ſtat pro ratione voluntas.* Sed hoc o-

Digitized by Google

mne à Deo ſancto & bono eſt alieniſſimum.

Secundo, mori Chriſtum, neceſſe fuit, propter Dei veritatem; vt ſatisfieret in primis verbo diuinæ comminationis, Geneſ. 2. 3. *Morte morieris, & in terram ſeu cinerem reuerteris*. Deinde, vt & verbum promiſſionis impleretur: *Semen mulieris conculcabit caput ſerpentis*, Gen. 3. verſ. 15. Eſa. 53. verſ. 7. 9. Hoſeæ 13. verſ. 14. 1. Cor. 15. verſ. 55. 56. Hinc Chriſtus ait, *ſe poſſe rogare patrem, vt mittat ſibi plures quam duodecim legiones angelorũ*, &c. ſed addit: *Quomodo autem impleretur Scriptura? Sic oportet fieri*. Tertio, vt finis imponeretur ſacrificiis & vmbris veteris Teſtamenti, mortem Chriſti præfigurantibus ac prænunciantibus. *Iohan.* 1. *Hebr.* 9. *verſ.* 18. 22. 23. 24. 25. *Cap.* 9. *verſ.* 9. 11. 12. 13. 14. *2. Propter veritatem.*

Quarto, vt firma eſſet noui Teſtamenti de gratia reconciliationis, iuſtitia corã Deo, adoptione & vita ęterna, promiſſio: interueniente videlicet morte teſtatoris. *Hebr.* 10. *verſ.* 16. 17. *Iohan.* 12. *verſ.* 24. *Rom.* 14. *verſ.* 16.

Iam de vtilitate mortis Chriſti cogitãdũ: quæ quidem eſt longè maxima. Nam primò piis mors Chriſti conducit ad liberationem à peccatis ac morte: & conſolationẽ conſcientię coram Deo; veramque iuſtitiam. *Roman.* 4. *verſ.* 25. Deinde prodeſt illa ad ſanctificationem, vt viuificentur, illuminentur & renaſcantur credentes in Chri- *Mortis Chriſti vtilitas.*

Digitized by Google

ſtum & in mortem eius baptizati, ac peccatis mortui, ſpiritu mentis ſuæ innouentur, vt Deo viuant, & eundem verè inuocent. *Rō.* *6.verſ.*3.4.*Iohan.*16.*verſ.*7.8.9.*Rō.*8.*verſ.*10. Etſi verò credentes nihilominus per mortem temporariam, ex hac vita decedunt: verè tamē per Chriſtum à morte liberati ſunt. Siquidem ille morti aculeum eripuit, & piis eam in ſomnū commutauit, vt ſit eis trāſitus ex hiſce ærumnis ad vitam æternam, *Iohan.*5.6.11.*Lucæ* 7.*verſ.*15.*Marci* 5.*verſ.*39. 1.*Cor.*11.*verſ.*30.&c.1.*Theſ.*4.*verſ.* 13. Deinde, mors temporaria, piis eſt commonefactio de culpa & ſtipendio peccati: ſed neque pro peccatis eſt ſatisfactio, neque pro pœna. Solus enim Chriſtus ſatisfecit plenè, & culpam cum pœna ſuſtulit. Præterea mors requies eſt à laboribus & ærumnis huius vitæ, *Eſa.* 26. *verſ.* 20. Denique mors piorum, finalis eſt ac perpetua reliquiarum peccati, abolitio: quemadmodum & repentina illa mutatio in iis, qui adhuc in die nouiſſimo & reditu Chriſti Domini ad iudicium, erunt ſuperſtites. 1. *Theſ.* 4. *verſ.* 16.

Sepultura Chriſti: & cauſſæ.

SEPVLTVRA etiam Chriſti ad ſtatum humiliationis eius pertinet: quam certis de cauſſis factam, ſciendum eſt.

Primo quidem, vt illa vere eum eſſe mortuum teſtaretur. Idque contra Baſilidianos hæreticos, qui Simonem Cyrenæum pro Chriſto crucifixum eſſe olim comminiſceban-

Digitized by Google

bantur. Itemque contra Cerdonianos, Manichæos atq; Docetas, qui non verè Chriſtũ eſſe paſsũ ac mortuũ, garriebant, ſed paſſionem & mortem duntaxat, in conſpectu hominum, ſimulaſſe. Vide *Auguſtinũ ad Quodvult Deum.*

Secundo, ſepultus eſt, vt typum Ionæ prophetæ impleret, *Matth.* 12. *verſ.*39. *Lucæ* 11. *verſ.*29.

Tertio, vt ſtatum humiliationis ſuæ ad vltimas vſque perduceret extremitates. *Epheſ.* 4. *verſ.*9.10.

Quarto, denique vt reſurrectionis ſuæ veritatem comprobaret: quæ facta eſt è ſepulchro nouo, in quo nullus antea iacuerat, & cui cuſtodes fuerant adhibiti, quodque publico ſigillo communitum fuerat.

Poſtremo, ſepultus eſt, vt ſepulturæ honeſtas quibuſuis, exẽplo ipſius, cõmendaretur. Hinc enim & qui olim Chriſti ſperabant aduentum credẽtes mortuorũ reſurrectionẽ, piè ſepulti ſunt, & Chriſtiani hodieq; ſepulturâ vtuntur. Cuius rei plures cõmemorat cauſſas *Auguſtinus de Ciuit. Dei lib.*1. *cap.*12. *ac* 13. *Primum* enim per ſepulturam piorũ corpora veluti cuſtodita aſſeruantur, tanquã præclarum depoſitũ quoddã; ſiquidẽ organa fuerũt Spiritus ſancti, 1. *Cor.*6. Quẽadmodũ annuli & veſtes aliæq; id genus res precioſæ reponuntur. *Deinde* retinetur & ſeruatur hac in parte mos Patriarcharũ antiquiſſim⁹. *Præterea* teſtificãtur pii ſuperſtites, vltimo

ſepulturæ officio, dilectionem quantã poſſunt erga defunctos. Tum hac etiã ratione, gratitudinem ergaDeum declarant viui,pro donis quibus ille defunctos,dum in viuis eſſent, ad cõmunem Eccleſiæ vſum, ornârat. Atque hoc inſuper admonẽtur ſpectaculo, communis miſeriæ, vt in omnem euentum & ipſi ad piè moriendum,ſeſe parent:nec indulgeant concupiſcentiis carnis ac voluptatib.hui⁹ ſeculi vaniſſimis. *Poſtremo*,præcipua cauſſa eſt, vt conſolatio ac fides reſurrectionis publico hoc teſtimonio, propagetur.Neque enim tam ſepeliuntur piorũ corpora, quam ſeminantur, vt inſtar frumenti reuireſcant.*Iohan*.12. 1.*Cor*.15.

Explicatio deſcenſus Christi ad inferos.

DESCENSVS Chriſti ad infernum, vltimo nunc loco explicandus: hic enim infimus demum eſt gradus humiliationis eius. Continetur autem hic articulus expreſsè in Symbolo Apoſtolico:cuius non eſt conuellenda, nec in dubium vocanda, authoritas. Quò accedunt manifeſta Scripturæ ſanctæ teſtimonia.*Pſal*.16.*verſ*.10.*Pſal*.18.*v*.6.*Pſal*.22.*verſ*.1.*Eſa*.53.*verſ*.5.8.10.*Matth*.27.*v*.46.

Et quanquam Cyprianus nec in Romano nec in Orientalium Eccleſiarum Symbolis hunc ſe articulum reperiſſe, dicit:*primo* tamen verbi diuini fultus eſt teſtimoniis. *Deinde*,ſi ab aliquibus fortè omiſſus fuit, non tamen eum pręter miſerunt omnes.Retinẽt enim illum Hilarius, Cyrillus, Euſebius Emiſſenus,Athanaſius, aliique plures.

Duo

Duo ſunt autem hîc perpendenda. Vnum, quid vox *inferni* ſignificet? *Alterum*, quo pacto, Chriſtus deſcendiſſe ad infernũ, dicatur? *Vox inferni.*

Ac primo quidẽ nuſquam ſumitur infernus, per totam Scripturam, de lymbo quodã Patrum, ſeu veſtibulo inferni, à Pontificiis excogitato, in quo vſque ad Chriſti aduentũ poſt eius reſurrectionem animæ ſanctorum veteris Teſtamenti, detentæ fuerint. Nullo enim Scripturę apice, nulla vſquam hiſtoria vel res iſta, vel talis notatio vocis inferni poteſt demonſtrari: præterquam quod ſancti demortui perhibeantur eſſe in requie, *Sap.* 3. *Matth.* 8. *verſ.* 11. *Et Lucæ* 16. *v.* 22. 25. Quô facit, quod mors Chriſti non tum demum efficax eſſe cœperit, quandò peracta fuit ac ſeparata, ſed inde ab origine mundi occiſus agnus, propter rei futuræ certitudinem, & fidem priſcorum patriarcharum, dicatur *Apocal.* 13. *verſ.* 8.

Denotat autem *infernus*, *prima* ſignificatione aliud nihil, quàm ſepulchrum & ſtatum defunctorum. Geneſ. 42. verſ. 38 cap. 44. verſ. 31. Pſal. 6. verſ. 5.

Deinde, *altera* ſignificatione, pro horrẽdo damnatorum loco, ac Diabolorum ſiue domicilio ſiue carcere, accipitur. Vt, *Pſal.* 49. *verſ.* 15. *Lucæ* 16. *verſ.* 10.

Tertia verò ſignificatione, ipſos æternæ condemnationis cruciatus, denotat. Vt *Pſal.* 18. *verſ.* 6. & 1. *Sam.* 2. *verſ.* 6. *Item*, *Pſal.* 16. *verſ.* 10.

Digitized by Google

Vox deſcendendi.

Nunc diſpiciendum, quomodo igitur Chriſtus ad infernum deſcenderit? Neque enim de ſepulturâ, iterum, hic articulus, in Symbolo iam ante pręmiſsâ, loquitur: quorſum namq; res eadem per ταυτολογίαν obſcurius repeteretur? Nec de loco damnatorum: ad quem Chriſtus, tradito Spiritu in manus patris, neutiquam peruenit. Verum propriè hic articulus intelligendus eſt, de ſenſu anguſtiarum, horroris & cruciatuum inferni, partim in horto inter luctandum, & circa ſudorem ſanguinis, partim in cruce, à Chriſto pro nobis ſuſcepto atque deuicto; dum videlicet eam pertulit mortem, quæ ſceleratis & impiis deſtinata fuerat æterna, in cruce exclamans: *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti?*

Quomodo Chriſtus deſcenderit ad inferos.

Non autem hic deſcenſus in Symbolo poſt ſepulturam ponitur, quaſi tunc demum aliquid Saluator perpeſſus fuerit; ſiquidem nec vidit corruptionem: & in cruce iam in manus patris, deuicta morte, ſpiritum tradíturus, dixerat: *Conſummatum eſt.* Verum ideò poſt mortem ac ſepulturam eius additur in Symbolo de deſcenſu ad inferos, vt qualem ille mortem quamque horrendam pertulerit, explicetur, & extrema humiliatio declaretur; ſimulq; plena ac perfecta credétium, ab æterna condemnatione redemtio confirmetur. Nec aliò ſpectat, quod *Zach.* 9. captiui è lacu ſeu fouea, ſanguine fœderis liberati perhibétur: quodq; 1. *Pet.* 3. *v.* 19. Chriſtus

Digitized by Google

ſtus profectus in ſpiritu, ſpiritibus in carcere, prædicaſſe, legitur. Hæc enim dicta concionátur de virtute & efficacia mortis Chriſti; ac totius per ipſum factæ redemptionis: quæ vel ad animas defunctorum atque ſepultorum pertigerit, ſiue pro conſolatione piorum, ſiue pro maiore cõſternatione impiorum.

Vſus deſcenſus Christi ad infernũ. Vſus verò huius conſiderationis eſt is, vt credentes, fide perfectæ redemptionis ſuæ in Chriſto Ieſu, mortis & inferni ſuperent vincantque horrores. *Lucæ* 23. *verſ.* 42. 43. *Rom.* 8. *verſ.* 34. 37. 1. *Cor.* 15. *verſ.* 54. 55.

DE STATV EXALTATIONIS CHRISTI.

SEquitur nunc poſt *humiliationem Chriſti*, eiuſdem, *exaltatio*. Emerſit enim ille, & eluctatus eſt ex anguſtiis: & ſicuti ſponte vitam poſuerat, ita eandem reaſſumpſit, potenter à mortuis reſurgendo, Iohann. 10. Rom. 1. & Act. 2. Vbi hæc ordine cogitanda veniunt. Hiſtoriæ, videlic. certitudo cum erroribus contrariis: Genuinus reſurrectionis Dominicæ intellectus: ac verus eiuſdem vſus.

Reſurrectionis Chriſti veritas. Resvrrectionis Chriſti certitudo, Propheticis primum nititur vaticiniis; quæ tam euenire fuit neceſſarium, quam Deus eſt verax. Vt *Pſal.* 2. *verſ.* 7. *Et Pſal.* 16. *verſ.* 18.

Act.2.*Eſa*.11.*verſ*.10.*cap*.53.*verſ*.10.*Hoſeæ* 6. *verſ*.2.*Rom*.1.*Hebr*.1.

Huc pertinent & ipſiusmet Chriſti prę dictiones,& poſt reſurrectionem factæ apparitiones. Vide *Matt*.12.*verſ*.29.*Lucæ* 11. *v*.29.30.*de typo Ionæ Prophetæ*. Item *Matth*. 16.*verſ*.21. *Cap*.17.*verſ*.9. *Cap*.26.*verſ*.32. *Marci* 14.*verſ*.28.*Lucæ* 18.*verſ*.23.*Iohan*. 2.*v*.19.20.21.22. Ac de apparitionib. Domini,vide *Lucæ* 24.*verſ*.15.36.*Iohan*.20.*verſ*. 14.19.26. *Cap*.21.*verſ*.16.*Act*.1.*verſ*.1.1.*Cor*. 15.*verſ*.5.6.7.8.

Idem verò etiam teſtantur angeli cæleſtes *Matth*.28.*verſ*.5.6. *Marci* 16.*verſ*.6. *Lucæ* 24.*verſ*.4.5.6.7.*Iohan*.20.*verſ*.12.Nec deſunt ſanctarum mulierum & ipſorum Apoſtolorum documenta. *Matth*.28.*verſ*. 9.*Marci* 16.*verſ*.18.*Lucæ* 24.*verſ*.9.*Iohan*. 20.*verſ*.18.*Act*.2.*verſ*.24.*Cap*.4.*verſ*.10.*Cap*. 10.*verſ*.40.*Et* 1.*Cor*.15.*verſ*.3.11.12. Denique idem comprobat reſurrectio ſanctorum, qui cum Chriſto reſurgente, è ſepulchris egreſſi, in vrbem ſanctam prodiere & à multis conſpecti ſunt. *Matth*.27.*verſ*.53. Hiſce euertitur Iudęorum error ac vanitas Chriſtum & reſurrectionem eius negantiũ. quod contra conſcientiam eos facere, patet *Matth*.28.*verſ*.12.13.14. Item, hęreſis blaſphemi Cerinthi, qui mortuum fatebatur Chriſtum, ſed partim ante nouiſſimum diem, non reſurrecturum, contendebat,

debat, partim eius deitatem inficiabatur, *Epiphanius libr.* 1. *Tomo* 2. *cap.* 28. Confutatur etiam Epicureiſmus Gentilium & Sadducęorum error Iudaicus, de quo *Matth.* 22. ℣. 23. *Actor.* 23. ℣. 8.

Poſtremò, omnis hîc mundana concidit ſecuritas atque prophanitas, cum quibusvis opinionibus iſtam fulcientibus, vt 1. *Cor.* 15. ℣. 12. 1. *Tim.* 1. ℣. 20. 2. *Tim.* 2. ℣. 18.

Reſurrectio Domini qualis?

Genuinus porrò reſurrectionis dominicæ intellectus per circumſtantias inquirendus eſt. Quis enim ille, quem à mortuis reſurrexiſſe, credimus? Ieſus Chriſtus, vtique Dei Filius & Mariæ, qui in cruce mortuus erat: non quidem vel deitate vel etiam anima, ſed corpore tantum ab anima diuulſo: minimè tamen vel hac vel illo, ab vnitate perſonę τȣ̃ Λόγȣ, diremptis.

Quibus reſurrexit auxiliis? Nulla adiutus virtute aliena; ſed ſuaipſius, quam cum ęterno Patre ac Spiritu ſancto communem habet, diuina vi & omnipotentia, *Johann.* 10. ℣. 17. 18. *Rom.* 1. ℣. 4. Quomodo reſurrexit? Primò ſine vlla præeunte corruptione. *Pſalm.* 16. *Act.* 2. Deinde glorificato quidem & immortali; ſed vero tamen humano ſuo corpore, cum anima iterum coniuncto, *Luca* 24. ℣. 37. 38. 39. Denique nec facta dimenſionum penetratione Chriſtus è ſepulchro per lapidem ſepulchri tranſiens, erupiſſe legitur: ſed angelus Domini lapidem à ſepulchro remouerat, *Matth.* 28. ℣. 2. Quando

autem reſurrexit? Tertio, nimirum poſt mortem crucis die. Nam ipſo die paraſceues, ante veſperum ſepultus eſt: ſequēs nox cum die Sabbathi ſecundum diem conſtituit: tertius dies eſt nox ſubſecuta cum primo Sabbatorum, id eſt, diei Dominici diluculo, 1. *Cor.* 15. *v.* 4.

Reſurrectionis Chriſti vtilitas.

Nunc de vſu reſurrectionis Chriſti, dicēdum. Is verò eſt multiplex.

Primò, vt mors in genere humano, exſoluto per Chriſtum peccati ſtipendio, deuicta aboleretur, *Act.* 2. *verſ.* 24. 1. *Corinth.* 15. *verſ.* 54. 55.

Secundò, vt credentibus impetraretur iuſtitia, peccato per Chriſti ſanguinem & reſurrectionis eius virtutem, *Rom.* 4. *v.* 25.

Tertiò, vt iidem ad vitæ nouitatem regenerarentur, *Roman.* 6. *v.* 4. *Coloſſenſ.* 3. *verſ.* 1. 2. 5.

Quartò, vt fides reſurrectionis mortuorū certo & euidenti argumento confirmaretur, 1. *Cor.* 15. *v.* 21. 22. 1. *Petr.* 1. *v.* 3.

Quintò, vt corpora piorum glorificarentur ad ſimilitudinem glorioſi corporis Chriſti, 1. *Cor.* 15. *v.* 53. 54. *Philipp.* 3. *verſ.* 21. *Coloſſ.* 3. *verſ.* 4.

Vox cæli.

ASCENDIT etiam Chriſtus, quadrageſimo poſt reſurrectionem die, ad cælos. Vox autem *cæli*, eſt polyſimos. Aut enim aërem ſignificat, vnde auiculæ *volucres cæli* appellantur, *Matth.* 6. *verſ.* 26. *Lucæ* 12. *verſ.* 56. Aut ipſum *firmamentum*, *cum ſo-*

le, lu-

le, luna ac ſtellis, vt *Geneſ.* 1. *v.* 8.14.15.16.17. Et Pſalmo 19. *Cæli enarrant gloriam Dei & firmamentum annunciat opus manuum eius.*

Sed hoc loco per *cælos*, intelligitur locus ille exoptatiſſimus beatitudinis æternæ, extra & ſupra omnes cęlos viſibiles electis pręparatus, *Marc.* 16. *verſ.* 19. *Luc.* 24. *v.* 51. *Act.* 1. *verſ.* 11. *cap.* 3. *verſ.* 21. *Eph.* 4. *v.* 10. *Philipp.* 3. *verſ.* 20. *Hebr.* 4. *verſ.* 14. *cap.* 7. *verſ.* 26.

Cælum ad quod Christus aſcendit.

Atque hoc cælum variis & illuſtribus inſignitur in Scriptura ſancta Epithetis & elogiis. Sic *Eſa.* 1. *verſ.* 1. dicitur, *thronus ac ſedes Dei*, Pſalm. 15. *templum & mons Dei ſanctus, & habitaculum Dei.* Pſalm. 115. *cælum calorum.* Rurſus Eſa. 67. verſ. 17. *nouum cælum & noua terra.* Matth. 25. verſ. 33. & 34. *ad dexteram Filii hominis regis*: item, *regnum benedicti Patris Christi, paratum a iactis mundi fundamentis.* Marci 10. verſ. 30. *vita æterna in futuro ſeculo.* Lucæ 16. verſ. 9. *æterna tabernacula.* Ibidem, verſ. 22. *ſinus Abrahæ.* Iohann. 14. verſ. 2. *Domus Patris Christi & in eàdem manſiones multæ.* Item, *locus quem paratum Chriſtus abierit.* Lucæ 23. verſ. 43. *paradiſus.* 1. Corinthior. 6. verſ. 10. *regnum Dei hæreditariè accipiendum.* 2. Corinth. 12. *tertium cælum & paradiſus.* Gal. 4. verſ. 26. *ſublimis illa Hieruſalem noſtri omnium mater.* Epheſ. 4. verſ. 10. *ſupra omnes cælos.* Coloſſ. 2. *verſ.* 2. *ſuperna*, cap. 1. ✝. 4. *ſors*

Epitheta cæli.

ſanctorum in luce. 1. Theſs. 2. *regnum & gloria Dei.* Hebr. 12. ℣. 22. *mons Zion, Hieruſalem cæleſtis, ciuitas Dei viui*, cap. 13. ℣. 14. *ciuitas futura manens*, &c.

Quomodo aſcenſio Christi intelligenda?

Intelligenda autem eſt Chriſti Domini in cælos adſcenſio, non de corporis eius aliqua in his terris vel diſparitione vel inuiſibili omnipræſentia in cūctis creaturis; quod merum eſt figmentum, omni carens authoritate verbi diuini; ſed de motu locali, quô Chriſtus corpore ſuo, viſibiliter, ex hoc inferiori mundo, in cælum ſublatus eſt, ibidem ad tempora reſtitutionis omnium permanſurus, hoc eſt, donec redeat è cælo, iudicatum viuos & mortuos, *Actor.* 1. ℣. 11. *cap.* 3. *verſ.* 21.

Quomodo Chriſtus poſt aſcenſionem Eccleſiæ adſit in his terris?

Etſi verò corporaliter Chriſtus in cælo eſt, non hîc aut illìc hiſce in terris quærendus, *Mat.* 24. nihilominus tamen adeſt Eccleſiæ ſuæ omnibus diebus ad finem vſque ſeculi. Quod rectè intelligendum eſt de præſentia, non corporali, ſecundum quam antea in terris verſatus eſt, & iam reliquit mundum; ſed de præſentia eius ſpirituali, quatenus videl. non ſolùm diuina ſua maieſtate vbique præſens eſt, verum etiam, tanquam caput Eccleſiæ, neutiquam à ſuo corpore diuulſus eſt, cum illo quàm arctiſſimè vinculo inhabitantis in cordibus piorum Spiritus ſancti & gratiæ eius coniunctus: quæ eſt vnio Chriſti & piorum indiſſolubilis. Sic enim Chriſtus (licet corpore in cælum

lum euectus) perpetuò ſuis adeſt, vbicunq; duo vel tres in nomine ipſius congregati ſunt, *Matth.* 18. ℣. 28. nunquam Eccleſiam ſuam deſerens, ſed potenter eam gubernans atque defendens. De quo Auguſtinus in Iohan. 20. *Secundum præſentiam maieſtatis Chriſtum ſemper habemus: ſecundum præſentiam carnis rectè dictum eſt diſcipulis; Me verò non ſemper habebitis.*

Atqui, non dicit Chriſtus, inquies: *Spiritus meus aut deitas mea erit vobiſcum, veluti carne excluſa, ſed tanquam de tota ſua perſona: Ego ſum vobiſcum, ego ero in medio illorum.* Reſpondetur, non excludi humanam Chriſti naturam à præſentia ipſius ſpirituali, quantumuis ea in terris non adſit corporaliter. Nam credentes vinculo Spiritus ſancti & per fidem ſic toti vniuntur perſonę Chriſti, vt nunquam ille ab eis, nec ipſi ab eo, diuellantur. *Iohan.* 6. 10. 15. Deinde, tota quidem perſona adeſt & abeſt, licèt non ſemper corpore. Sic tota Chriſti perſona in terris exiſtens, tàm corpore quàm deitate: non tamen erat in cælis, niſi ſecundum deitatem: nec propterea in cælis, non tota perſona, *Iohan.* 3. ℣. 3. Sic tota Chriſti perſona paſſa eſt & mortua, licèt carne tantum; non deitate, 1. *Petr.* 2. 4.

Vox, Ego, an corporalē inuehat præſentiam?

Ad hæc, non mage carnis præſentiam corporalem Chriſtus promittit, inquiens: *Ego ero vobiſcum*, quàm abſentiam ſuæ deitatis minitatur, cum ait, *Me non ſemper ha-*

Digitized by Google

„ *bebitis.* Vbi de tota quidem ſua perſona lo-
„ quitur vtrobique, ſed diuerſo vel huius vel
„ illius naturæ reſpectu. Non ſemper enim habituri eum fuimus, reſpectu corporis ſui in cælum euehendi per aſcenſionem; ac ſemper tamen manſurus eſt nobiſcum, ſecundum diuinam naturam & maieſtatem & Spiritum gratiæ, adeoque per communionem & vnionem capitis, quod ipſe eſt, ac mēbrorum, qui ſunt credentes. Sic Auguſtinus de verbis Chriſti Iohann. 3. verſ. 13. *Ecce, hîc erat, & in cælo erat. Hic erat carne: & in cælo erat diuinitate: imo vbique diuinitate.*

Eſſe in Patre, & relicto mūdo ire ad Patrem, non eſt idem.

Neque verò vnum & idem eſt, ſi Chriſtus dicatur *eſſe in patre & pater in ipſo:* aut ſi dicatur, *à Patre exiiſſe, & ad eundem, relinquendo mundum redire & aſcendere.* Sed tum locutiones hæ tum res ipſæ quàm ſunt diuerſiſſimæ. Qua in parte hallucinantur, qui ſcribunt, *Chriſtum, quando ad Patrem aſcendit, ne digitum quidem aut pilum latum, corpore ſuo, a terris receſſiſſe:* quia ſcilicet, in Patre ſemper ſit, & Pater in ipſo. Quando enim Chriſtus ait: *Pater in me eſt & ego in Patre:* loquitur de vnitate eiuſdem ſuæ cum Patre eſſentiæ ac naturæ, non minus quàm cùm dicit: *Ego & Pater vnum ſumus,* &c. Item, *non ſum ſolus, verùm ego, & pater.* Quando autem inquit, *ſe exiiſſe à Patre:* de miſſione ſua loquitur & aduentu in car-

ne atque in hunc mundum. Cumque dicit: *Vado ad Patrem & relinquo mundum, vel aſcendo ad Patrem*: loquitur ac rem ipſemet interpretatur, de corporali pręſentia & conuerſatione ſua, ex hoc mundo auferenda, per aſcenſionem ſuam in cælum.

Inſtat aliquis: *Si humanitas Chriſti non ſit vbique cum deitate eius, tunc perſonam diſſolui: eſſe enim alicubi deitatem, quò non pertingat humanitas.* Id verò conſectarium non eſt, niſi in perſonis quæ naturas habent æquè finitas. *Atqui perſona Chriſti, ſecundum naturam diuinam infinita eſt, & humanam aſſumpſit naturam finitam atque circumſcriptam.* Deinde, deitas Chriſti, cum vbique tota ſit, non minus tota adeſt humanitati ſuæ in cælis iam commoranti, quàm tota in eadem fuit exiſtente tantum in virginis vtero, & priuſquam ad cælos fuiſſet ſubuecta. Nec vlla deniq; loci diſtantia, vnionem Chriſti perſonalem dirimere poteſt, quantumuis corpus eius non ſit ἀπείρχαςον: ſiquidem vbicunque eſt, cum tota ſua deitate (non cum parte eiuſdem aliqua) manet coniunctum & vnitum. *An carnis Christi negatâ vbiquitate, perſona dirimatur?*

Ingens autem eſt piorum cõſolatio, quod cælum Chriſtus occupauerit. Ita namque & ipſis, qui cum eo vnum ſunt, cęlum apertum & aditus patefactus eſt, *Michea 2. v. ſ. 13. Joh. 17. v. ſ. 24.* *Vtilitas aſcenſionis Chriſti.*

Digitized by Google

Deinde certi ſunt, triumphaſſe Chriſtum de peccato, morte, diabolo & inferno deuictis, *Eph.* 4. ℣. 9. *Col.* 2. ℣. 15.

Norunt inſuper Chriſtum, Spiritu ſuo, cælitus gubernare, regere, illuminare, conſolari, defendere & conſeruare Eccleſiam ſuam, variisq; donis eandem exornare, *Eph.* 4. v. 7 8. 9. *Joh.* 14. & 16.

Præterea ſciunt Chriſtum in cælis pro ipſis apparere & interpellare apud æternam patrem, *Rom.* 8. *Hebr.* 7. *v.* 25. 26. *c.* 8. *v.* 6. 7. *c.* 9. *v.* 12 14.

Poſtremò, extimulantur etiam hac cogitatione, ad vitam & conuerſationem, regno cæleſti congruam, vt conuerſatio eorũ, ſicuti & πολίτευμα, ſit in cælis & quærant quæ ſuperna ſunt, &c. *Coloſſ.* 3. *verſ.* 1. *Philip.* 3. *v.* 20.

Dextera Dei quid?

CONSEDIT porrò Chriſtus ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Quæ ſeſſio ipſius piè & orthodoxè explicanda eſt. Primò, cũ Deus ſit *Spiritus*, dextera eius, de corporali aliqua habitudine intelligi haud poteſt: ſed brachiũ & dextera Dei, metaphorica eſt locutio, immenſam eius potentiam ſignificans. Vt *Pſalm.* 118. *verſ.* 16. *Eſa.* 30. *verſ.* 30. *cap* 48. *verſ.* 13. *Act.* 5. *verſ.* 31. Deinde dextera Dei regnum & gloriam Dei in cælis denotat: ſicuti Stephanus Chriſtum vidit ſtantem ad dexteram Dei, *Act.* 7. Tum ſumitur etiam pro cæleſtis beatitatis loco, vt *Pſalm.* 16. *verſ. vlt.* Præterea & *ſedendi* vox metaphoricè hic ſumitur, pro durabili & quieta regni & glo-

& gloriæ Chriſti cæleſtis perpetuitate, *Eſa. 9.verſ.7.Daniel.2.verſ.44. 2.Sam.7.verſ.12. Hebr.10.verſ.12.*

Quid ſeſſio Chriſti ad dexteram Dei?

Ex hiſce iam liquet, ſeſſionem Chriſti ad dexteram Dei patris, eſſe ipſius, in carne rediuiua, cæleſtem exaltationem, potentiam, maieſtatem & gloriam, pro ſacerdotali ſimul & regio ipſius munere; quam (finitâ hiſce in terris extremâ ſuâ humiliatione) in cęlis conſecutus eſt. Sicuti & aſcenſionem Chriſti ad cælos, tanquam partem exaltationis, humilitati eius extremæ, opponit Apoſtolus *Epheſ.4.verſ.9*. Hunc ſeſſionis domini, ad patris dexteram, reddit ſenſum Petrus, *Actor.2.verſ.33.cap.5.verſ.31.Philip.2.verſ.9.*

Seſſio ad dexteram Dei non efficit carnis Chriſti vbiquitatem.

Nec tamen conſectarium eſt, quod nonnulli hinc colligunt, ſi dextera Dei infinita eius potentia vbique pręſens, & Chriſtus ad eam ſedeat ſecundum naturam humanam: quod propterea Chriſti caro ſeu humanitas ſit vbique. Nam talis eſt illa ratiocinatio: *Dextera Dei eſt vbiq;: Chriſtus ſecundum humanã ſuã naturã, ſedet ad dexteram Dei: Ergo ſecundum humanam ſuam naturam eſt vbiq;.* Sed quatuor in argumento inſunt termini. Aliud enim eſt, *dexteram Dei eſſe*, & eam *vbiq; eſſe*: aliud item, *ſedere ad dexteram Dei*, & *quod ſedet ad dexteram Dei, eſſe vbiq;*. Prior propoſitio de eſſentia & natura deitatis, loquitur; altera, de data gloria & poteſtate, exaltationeq; carnis Chriſti in cælis. Quę

exaltatio non adimit humanæ naturæ proprietates ſuas eſſentiales, nec eam reddit infinitam aut incircumſcriptam, ſicuti neq; illam in deitatem, mutat.

Deinde nō magis ideo humanitas Chriſti vbiq; eſt, quia ſedet ad dexterā Dei; quam ideo ſit ab æterno, & incorporea, & ſic deinceps. Nec iuuat iſtos, quod inſtent, ſedere Chriſtum ad totam dexteram Dei; nō ad partem eius aliquā: ac proinde nuſquā à deitate ſua abeſſe. Etſi.n. hoc veriſſimum eſt, ꝙ nuſq̃ à tota ſua deitate Chriſti humanitas abſit: non tamen id ex carnis aliqua prouenit vbiquitate: ſed ex eo quod deitas vbique tota, & nuſquam aliqua ſui parte ſit præſens. Ergo etiam tota (licet vbique præſens) cum ſua ſemper humanitate, ſiue ea in vtero tantum beatæ virginis, & in cruce tantum, antea fuerit, ſiue in his terris, ſiue in cælo ſit. Deinde, non vbique locorum ſed in cęlis tantum, ad dexteram Dei ſedere Chriſtus dicitur. Ac poſtremò conſecutionis vitioſitas ex eo deprehenditur, ſi ad hunc modum ratiocineris: *Tota dextera Dei eſt ab æterno & incorporea, increata, eſſentia mera ſpiritualis, infinita & incircumſcripta: ergo talis, quæ ſedet ad dexteram* DEI, *& caro Chriſti.*

Quomodo Chriſto data omnis poteſtas.

Inſtant iſti (quod æquè friuolum eſt) quia *omnis poteſtas in cælo ac terra Chriſto data ſit*: datam verò, duntaxat intelligunt *ſecundum humanam naturam*: idcirco carnem Chriſti

Chriſti in ſeſe etiam factam eſſe omnipræſentem & omnipotentem. *Primum* autem non expendunt, exaltationem totius eſſe perſonæ, non huius aut illius naturæ Chriſti, ſeorſim. *Deinde*, non diſtinguunt inter datam Chriſto omnem ἐξουσίαν, quæ ad dominium exaltationis pertinet, quod ſit dominus & caput Eccleſię & omnia ſint pedibus eius ſubiecta, *Epheſ.* 1. *v.* 5. *Coloſſenſ.* 1. (Hæc enim πᾶσα ἐξουσία eſt) & inter æternam Chriſti παντοδυναμίαν & παντοκρατορείαν, quæ ipſa eſt eius deitas ac diuina natura, ſecundum quam vitam in ſeipſo habet, ſicuti Pater eam habet in ſeipſo. Neque enim ſic data eſt Chriſto omnis poteſtas, vt eius humanitas in omnipotentiam, naturam & eſſentiam deitatis tranſierit: alioqui ea caro eſſe deſiiſſet. Verum regnat plenè Christvs etiam quà homo, in cælo ac terra, & caput eſt omnium: nec vbique tamen corporaliter ſua carne præſens eſt. Neq; enim omnis ei data poteſtas, carnis inuehit vbiquitatem. *Iohann.* 5.

Vſus huius rei eſt longè maximus. Confirmat enim fides ſeſſionis Chriſti ad dexteram Dei Patris, veræ ſalutis & hereditatis cęleſtis certitudinem, quod ad ſe pios ille ſit aſſumpturus, *Johann.* 12. *verſ.* 32. *capite* 14. *verſ.* 2. *Hebræor.* 5. *verſ.* 9. *Deinde*, hæc fides pios de effuſione, manſione ac donis Spiritvs Sancti reddit certiores, *Actor.* 2. *verſ.* 33. *Epheſ.* 4. *verſ.* 11. 2.

Vtilitas ſeſſionis Chriſti ad dexteram Dei.

*Corinth.*1.*verſ.* 22. 1. *Corinth.* 12.*verſ.* 3. *Rom.* 5.*verſ.*5. *Tertiò*, eâdem firmam piis ſubminiſtrat conſolationem, de Eccleſiæ contra rabiem diabolorum & hoſtium tyrãnidem, protectione ac defenſione. Intelligitur autem per Eccleſię defenſionem, *primò* quidem, quod Chriſtus ad dexteram Dei ſedẽs in cælis, effundat Spiritum ſanctum in corda electorum, & per illum eos illuminet, regat & conſeruet, *Rom.* 5. *verſ.*5.*cap* 8.*verſ.*9. 10.11.&c. *Secundò*, quod extrudat operarios in meſſem ſuam, & Eccleſiæ miniſterium largiatur atque conſeruet, *Johan.*20.*verſ.*21. *Epheſ.*4.*verſ.*11. *Tertiò*, quòd conſtituat legitimum magiſtratum, qui curam gerat Eccleſiæ, *Eſa.*49.*verſ.*23. *Quartò*, quòd conſeruet puram religionem & cultum, *Johan.* 14.*verſ.*15.21.26.*Johann.* 17. *Quintò*, quòd piis largiatur victoriam contra diabolum, propriam carnem vitioſam, & mundum impium, *Johann.* 16.*verſ.*33. 1.*Johann.*5.*verſ.*4. *Pſalm.*110.*verſ.*1.2. *Sextò*, quòd iiſdem largiatur donum patientiæ cum ſpe & perſeuerantia, *Matth.*10. *Hebr.*10.*verſ.*36. *Johan.* 10.*verſ.*28. *Philip.*1.*verſ.*6.9.10. *Rom.*8.*verſ.* 38. *Septimò*, quòd opprimat tyrannos & hoſtes Eccleſię, *Pſalm.*2.*v.*29. *Pſal.* 110.*verſ.* 1.2 5. *Poſtremò*, quòd æterna liberatione ſit pios omnes ac Eccleſiam ſuam recreaturus & gaudio perfuſurus cæleſti, *Lucæ* 12. *verſ.*32.*cap.*22.*verſ.*29.*Johan.*16.*verſ.*22.

REDIBIT autem è cælo VENTVRVS

tvrvs Chriſtus, vt iudicet viuos & mortuos. Cuius rei certitudo conſtat *primum* ex decreto Dei *Johan.*5.*verſ.*22. 27. *Actor.*17. *verſ.*13. *Heb.*9. *verſ.* 27. *Deinde*, ex conſideratione iuſtitiæ diuinæ: quæ non perpetuò ad huius mundi malitiam & ἀταξίαν conniuebit, 2. *Theſſal.* 1. *verſ.*6. *Tertiò*, ex ipſius Chriſti promiſſione, *Lucæ* 17. *verſ.*26. *cap.*18. *verſ.*6.7.8. *Quartò*, ex Teſtimonio angelorum Dei, *Actor.*1. *verſ.*10.11. *Quintò*, è multis Scripturæ ſanctæ pronunciatis, *Pſal.* 9. *Eſa.*3. *verſ.*13.14. *cap.*66. *verſ.* 15. *Daniel.* 7. *verſ.* 13.26. *Roman.*14. *verſ.*10. *Hebr.*6. *verſ.*2. 1 *Theſſal.*4. *verſ.*15.16.17. &c. 2. *Petr.*3. *verſ.*10. *Epiſtola Judæ verſ.* 14.15. *Sextò*, è ſignis à Chriſto prædictis, *Lucæ* 2. *verſ.* 25. *Matth.* 24. *Roman.*14. *verſ.* 12. 2. *Theſſal.*2. *verſ.*3. 1. *Theſſ.*4. *verſ.* 15. 16. *Septimò*, ex ipſa hominum conſcientia, quæ vnicuiq; dictitat, peccata in iis qui non reſipiſcunt, haud impunita dimiſſum iri.

Iudicium extremum.

Totus autem huius aduentus & iudicii Chriſti nouiſſimi actus proponitur & explicatur luculentiſſimè *Joël* 3. *verſ.* 2. *Daniel.* 7. *verſ.*13. *Matth.*25. *verſ.*13. *Luc.*21. *verſ.*35. *Johann* 5. *verſ.*28. 1 *Theſſal* 4. *verſ.*15.36. *&c.*

Qualis ſit futura iudicii ratio?

Quod porrò viuos & mortuos Chriſtus iudicaturus creditur atque docetur; tametſi *mortuos* perſæpe peccatores Scriptura vocat, vt *Johann.* 5. *verſ.* 25. *Coloſſenſ.*2 *verſ.*13. 1. *Timoth.*5. *verſ.* 6. *Epheſ.*5. *verſ.*14 Hic tamen per *mortuos* intelligendi ſunt, defuncti

Quinam iudicandi?

Digitized by Google

omnes in die nouiſſimo reſuſcitandi, per viuos autem quicunq; in aduentu Domini adhuc erunt ſuperſtites: de quibus vide 1. *Theſ.* 4. *v.* 15. 16 17.

Quis vſus iudicii nouiſſimi.

Etſi verò aduentus hic Chriſti in maieſtate & gloria terribilis erit, & multo magis iudicium illud ſeueriſſimum & æternum, credentibus tamen conſolationem, lętitiam & exultationem afferet, ſiquidem ipſi in iudicium minimè venient, *Joh.* 5. *v.* 24.

Primò namq; æterna eorum redemptio tunc perfectè complebitur; ne vel peccato amplius vel vllis corporis aut animæ ſint miſeriis & periculis obnoxii, *Luc.* 21. *verſ.* 28. 1. *Theſſ.* 4. *verſ.* 17. 18.

Deinde, omni vacabunt metu cōdemnationis: quia Chriſtum mundi iudicem, ipſi Saluatorem habent, *Joh.* 5. 6. 16. Tum vltimo hoc iudicio penitùs & funditùs hoſtes eorum extinguentur & abolebuntur, 1. *Cor.* 5. *verſ.* 25. 26. Denique cum Chriſto in gaudia regnum cælorum introibunt, perfruituri abſterſis ab oculis eorum omnibus lachrymis, felicitate & requie æterna: ſicuti patet in exemplo *Lazari Lucæ* 16. Item, *Iohan.* 16. *verſ.* 21. 22. 1. *Corinth.* 2. *v.* 9. 10. *Eſ.* 64. *v.* 4. *Apocal.* 7. *verſ.* 17.

CAPVT

Digitized by Google

CAPVT QVARTVM.

De Eccleſia & veris eiuſdem notis.

CHRISTVS Dominus rex eſt, nō vtiq; ſine regno & ſubditis; eſt ſacerdos ac propheta, non ſine peculiari Eccleſia & populo; caput, non ſine ſuo corpore & membris. Quamquam verò cęli ac terræ Dominus ille exiſtit, rex regum & dominus dominantium; non tamen regnum eius eſt de hoc mundo, *Iohan.*18. ſed ſpirituale & æternum, *Daniel.*4.*verſ.*44. Hoc igitur regnum ipſius eſt Eccleſia, quatenus ea vel in his etiānum terris & ſub cruce militans verbo Euangelii colligitur; vel in ipſa cęleſti gloria cum Chriſto & ſanctis angelis, triumphat. *Chriſtus, nō ſine regno, Rex.*

Eccleſia autem dicitur à Græco verbo *ἐκκαλέω*, id eſt, *euoco:* quod Chriſtus eā elegerit ex mundo, *Ioh.*15.*v.* 19. & quod è tenebris eā vocauerit ad lucem ſuam admirabilem, 1. *Petr.*2.*verſ.* 9. Eſt autem illa *congregatio ſancta* & *cœtus electorum Dei*, ſeu hominum Euangelio credentium, ex vniuerſo genere humano tàm gentibus quàm Iudæis collectus, ad cognitionem & cultum Dei, & æternam regni cælorum beatam illam hæreditatem: in cuius tamen congregationis externa ſocietate, permulti etiam ſeſe admiſcent hypocritæ & non renati homines, olim CHRISTO iudice, exterminandi, *Eccleſia Dei qualis populus?*

Digitized by Google

quando zizania euellentur ex agro Domini, *Matth.*13.

Cœtus electorum.

Electorum verò *cœtus* dicitur, quia certus à Deo numerus ante ſecula electus & ſancitus eſt ſaluandorum; qui ſoli veram Eccleſiam conſtituunt, & quos Dominus exactè nouit eſſe ſuos, ab hypocritis probè eos dignoſcens, *Mat.*22.*v.*14.*Joh.*13.*v.*18.*Act.*13.*v.*48.*Rom.*8.*v.*29.30.*Eph.*1.*v.*4. 2.*Tim.*2.*v.*19. *Tit.*1.*v.*1.

Sancta congregatio.

Et *ſancta* vocatur *congregatio*: non quòd ſine labe ſit in his terris, ſed quod Chriſti ſanguine abluta ſanctificetur Spiritu Dei, 1.*Cor.*6.*verſ.*11. *Epheſ.*5.*verſ.*27. Itemque propter ſtudium ſanctitatis ad quam vocata eſt, *Eph.*1.*&* 2.*verſ.*10. 1.*Theſſ.*4. *verſ.* 7. Ac denique quod in cælis penitus ea ſit ab omni macula peccati futura immunis, vt angeli Dei, *Mat.*22.*v.*30.*&* *Luc.*19.*v.*36.

Eccleſia quare catholica dicatur?

Appellatur verò eadem *catholica* etiam & *Apoſtolica*. *Catholica* quidem, non à ſede Romana, quæ primatum catholici & vniuerſalis Epiſcopatus omnium in toto terrarum orbe Eccleſiarum temerè ac falsò ſibi arrogat; verum ſi à capite totius corporis catholico, hoc nomen obtinet Eccleſia, non niſi ab vno Chriſto, ſic eam vocari poſſe, certum eſt. Propriè tamen & verè Eccleſia dicitur catholica, quod vniuerſos in ſeſe piorum cœtus & ſingulos credentes, inde ab initio mundi ad finem vſque, inter omnes omnium locorum ac temporum gentes, voce Euange-

Euangelii collectos, & colligendos, adeoque totum ſimul ſanctorum in cęlis conſortium, compræhendat. *Eſa.49.verſ.8. &c. Lucæ 13.verſ.29.*

Eccleſia dicta Apoſtolica.

Sic *Apoſtolica* etiam ideò dicitur, quod & miniſterio Apoſtolorum in nouo teſtamẽto inchoata ſit, & eorundem retineat ac profiteatur doctrinã, fidei nimirũ in Ieſum Chriſtum: ſuperſtructa vtique ſuper fundamentum Apoſtolorum ac prophetarum, exiſtẽte ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chriſto. *Matth.28.verſ.19. Marci 16.v.20. Lucæ 10.verſ.1. Epheſ.2. verſ.20.*

Epitheta Eccleſiæ.

Præterea diuerſo reſpectu, diuerſis etiam & variis Epithetis Eccleſia inſignitur. Vt *Eſa.49.verſ.3.13.14.* vocatur, *Iſraël & tribus Iacob*, & populus Domini & Sion: quod paſſim quoque in Pſalmis occurrit. *Eſa.5. & Matth.20, vinea* appellatur.

Pſal.87. ciuitas Dei. Matth.13.verſ.24. *regnum cælorum.* Lucæ 16. *filii lucis*, Iohan. 3. verſ. 5. & alibi ſæpè, *regnum Dei.* Galat. 3. v. 25. 26. *Hieruſalem cæleſtis ac ſuperna, mater fidelium.* 1. Tim 3. *domus Dei, Eccleſia Dei viui, columna & ſtabilimẽtum veritatis.* 2. Cor. 11. verſ. 2. quemadmodum & Iohan. 3. *ſponſa Chriſti*, & in Apocalypſi, *Vxor agni.* Iohann. 10. *oues Chriſti & vnus grex & ouile vnici paſtoris Chriſti.* 1. Pet. 2. verſ. 9. *Populus Dei.* item, *Genus electum, regale ſacerdotium, gens ſancta*, & ſic deinceps.

Digitized by Google

Eccleſia viſibilis & militans.

Porrò verò diſtinguitur Eccleſia bifariam. Primo in viſibilem & inuiſibilem; deinde in militantem ac triumphantem. *Viſibilis Eccleſia* ſunt quilibet cœtus quocumque loco aut tempore conuenientes, in quibus veræ conſpiciuntur notæ Eccleſiæ Chriſti: quantũuis permixtos in externa ſocietate habeãt hypocritas & homines non renatos. Qui in Eccleſia numerantur, non quod ſint vera ei' mẽbra, aut in ſpirituali corporis Chriſti cõpage cõputẽtur, 1. *Cor.* 12. *Eph.* 4. ſed quod eãdem fidem ac religionem, à cæteris dignoſci nequeant, antequam certis argumentis manifeſtentur, ſicuti Iudas & Simon magus & Phariſæus ille *Lucæ* 18. Sed innoteſcent ſuo tamen tempore, cum rex non habentes veſtem nuptialem, è conſortio ſuorum eiiciet *Matth.* 7. *verſ.* 21. 22. 23. *Cap.* 22. *verſ.* 11. 12. 13.

Eccleſia inuiſibilis.

Eccleſia inuiſibilis, eſt vniuerſa multitudo electorum Dei & verè credentium, ſiue in cęlis iam tum exiſtentium, ſiue in terris, hinc inde, inter cœtus Eccleſiæ externos degentium & ſub cruce latitantium; qui Deo probè noti ſunt omnes, 2. *Tim.* 2. *verſ.* 19.

Vnica Dei Eccleſia.

Eſt igitur vna & eadem Eccleſia, quæ reſpectu diuerſo, nunc *Viſibilis* dicitur, quod & congregationes eius externæ alicubi conſpiciantur, & notæ eius in ſenſus noſtros incurrant: nunc dicitur *inuiſibilis*, partim quatenus nemo in cor alterius intueri, & verè credentes cognoſcere poteſt, niſi ſolus Deus: partim quatenus, nec vno loco aut tem-

tempore electi ſimul omnes conueniunt. Quorum bona pars iam tum in patriam cæleſtem emigrârunt, ac multi nec dum vel nati, vel vocati & renati ſunt, quos ſuo tempore demum adducet Dominus. Ita fit quò minus Eccleſia ſit viſibilis & conſpicua, niſi aliqua tantum ex parte. Quô accedit, quod & ſancti angeli ſpiritus illi inuiſibiles, huius etiam Eccleſię ſint mēbra. *Apocal.19. verſ.10. Cap.22. verſ.9.*

De angelis autē hoc ſentiendum eſt, quod *Pſal.* 104. dicitur: *Facis angelos tuos, ſpiritus, & miniſtros tuos, ignis flammam ſeu ignem flagrantem.* Vnde & *Cherubim*, id eſt, volitantes ac *Seraphim*, id eſt, *ardentes*, appellantur. Et Auguſtinus in Pſalmum iam citatum, ſcribit: *Quæris nomen eius naturæ? Spiritus eſt: Quæris officium? Angelus eſt.* Deinde ſunt ex illis, qui propter vocationis & officii excellentiam, dicantur *archangeli*, 1. Theſ. 4. verſ. 16. Epiſt. Iudæ verſ. 9. Preterea ſciendum, hoſce angelos pro tutela electorum & ſaluandorum à Deo emitti. *Pſal. 91. verſ. 11. Pſal. 34. verſ. 8. Matth. 18. verſ. 10. Hebr. 1. verſ. 14.*

Angeli boni Eccleſiæ Dei membra.

Sunt autem & mali angeli, nempè qui in veritate (ſicut à Deo conditi erant) non perſtiterunt: vt Satan & angeli iſtius, apoſtatę omnes & hoſtes Dei atque Eccleſiæ implacabiles. Hos ſcriptura vocat *diabolos* ac *dæmonia & Spiritus malos atque impuros*: item, *principes tenebrarum ſeculi huius*, Epheſ. 6.

Mali angeli.

Vide *Matth.* 4. *verſ.*2. *Cap.*12. *verſ.*43. *Iohan.* 8. *verſ.*44. *Lucæ* 10. *verſ.*18. *Epiſtolam Iudæ verſ.*9. *Marci* 5. *v.*8.9. *Luc.* 8. *v.*30. *Iacob.* 2. *v.* 19. 1. *Pet.* 5. *v.*8. *Apocal.* 2. *v.*13. *Cap.* 3. *v.*9. *Cap.* 12. *v.*7.8.9. Atque iſti quidem regno Dei eiecti cruciatib. gehennę deſtinati ſunt *Matth.* 25. *verſ.*41. *Apocalyp.* 20. *verſ.*3. Sed redeamus ad inſtitutum.

Eccleſia militans & triũphans. Diſtinguitur porrò Eccleſia Dei, in militantem ac triumphantem. *Militans* dicitur, quatenus in his degit & ſub cruce exercetur terris; quam & regnum gratię vocant, quod adhuc remiſſione peccatorũ indigeat quotidiana, & regatur, ſuſtenteturq; gratia Spirit⁹ ſancti ac fide Domini noſtri Ieſu Chriſti. *Pſal.*16. v.3. *Pſal.*32. v.1.2.3.4.5.6. *Iohan.*14. v. v.16.17.26. *Cap.*16. v.7.

Triumphans autem dicitur Eccleſia, quatenus vitę huius ęrumnis exempta exultat in cęlo: quam & *regnum gloriæ* vocamus, propter vitę & beatitatis cęleſtis excellentiam. 1. *Cor.* 2. v. 9. *Apocal.* 7. v.14. *Cap.* 21. v. 22. 23. 24. 25.

Veræ Eccleſiæ ſigna. Nunc de ſignis & notis Eccleſię dicendũ, quibus ea ab omnibus aliis populis & cœtibus dignoſcitur. Et cautè atq; circumſpectè hîc agendũ eſt; ne decipiamur, ad res incertas & fallaces abducti.

Signa Eccleſiæ ficta. Neque enim vera Eccleſię nota eſt, externa Epiſcoporum ſucceſſio: quę res tempore Chriſti & Apoſtolorũ lõgè fefellit in Sacerdotibus, Scribis ac Phariſęis: ac multo magis

noſtro

noſtro tempore inPapiculis. Nā vera ſucceſſio Apoſtolorum, non loci aut ordinis ratione, ſed potius doctrinâ, fide ac pietate Apoſtolica cenſeri & æſtimari debet. *Iohann.* 14.*verſ.*23.*Lucæ* 8.*verſ.*21.

Deinde, nullo pacto pro ſignis Eccleſię nobis obtrudendę ſunt, certę hominum conſtitutiunculæ & obſeruationes: neque enim hiſcè traditionib. verè De⁹ colitur, *Matth.*15. Tū deniq; neq; nudū nomen ac titulus, Eccleſiæ, ſufficit; nedum falsò vſurpatus. Vt nunc Romanenſes *catholicæ Eccleſiæ* titulū horrendę idololatrię ſuę & variis tum erroribus, tum abuſibus, prætexunt. Nam ſimili ratione, nulli non hæretici, ſuos errores & conuenticula, fucare & pro Eccleſia venditare poſſent. Sicuti Donatus olim in ſola Aphrica inter ſuos Eccleſiam Chriſti quærendam, dicebat. Et Pontificii ad ſedem Romanam (vt loquuntur) adſtringunt & affigunt Eccleſiam catholicam. Catabaptiſtæ autem plerique omnes, ad ſolam externæ vitæ honeſtatem (quæ tamen inter Ethnicos præſtabilior, quam inter ipſos, fuit) reſpicere iubent, vt agnoſcas Eccleſiam; nil niſi mutuam clamitantes dilectionem, cuius vix ſpeciem aliquam declarant, infinitis interim doctrinæ erroribus callidè diſſimulatis. Iam dilectio & vitæ honeſtas, res profectò ſunt (modò abſit hypocriſis) præclariſſimo & ad Eccleſiæ conuerſationem neceſſariæ: Verum pro ſignis & notis

Digitized by Google

eius ſolæ nequaquam ſufficientes. Quid enim facilius, quid vulgare magis, quàm externa ſpecie vel errores tegere vel homines ineſcare dementare & ludificare? Et quis non hæreticiſſimus ementita vitæ ſanctitate conatus eſt ſua commenta venditare? Nullius ergo ponderis eſt honeſtatis externæ ſpecies ac prętextus ſine fidei in Chriſtũ puritate, *Rom*.1.14.

Eundem colorem obducunt ſuis etiam errorib. Swenckfeldiani: pręterquam quod neque Scripturam ſanctam pro verbo Dei agnoſcant, neq; vllos piorum cœtus externos magnoperè curent, vllivè ſe adiungant ſine cultu è Deo præſcripto eiuſdemque exercitiis, priuatim & ſolo ſpiritu eum colere volentes. Verum non venit eis in mentem, quod tam veritate quam Spiritu Deus coli velit, *Iohann*.4. Vnde autem veritas niſi è Scripturis (*Iohann*. 5. 17.) & miniſterio verbi, in quo Deus efficax eſt ſuo ſpiritu, *Romanor*.15. petenda eſt? Saluari Deus vult omnes homines, verum ita, vt ad veritatis cognitionem veniant, 1. *Timoth*. 2. Sic per verbum diſcipulorum Chriſti credituri erant pro quibus orabat Chriſtus *Iohan*.17. Iſti verò, quia inter cæteros errores Eutychianiſmum vnà cum Oſiandriſmo (vtcumque diſſimulent) coniungunt, & vt aliquo ſaltem diſcrepare modo videantur, iiſdem aſſuunt deteriora: patrocinium errori ſuo quærunt in eo, vt hanc ſolam

&ve-

& veram, præter externæ honeſtatis prætextum, Eccleſiæ notam eſſe dicant: *Siquis credat Ieſum Chriſtum eſſe Deum ac Dei Filium.* Sed hoc ipſum ſic ſtatim deprauant, vt Deum eſſe dicant, ſecundum vtramque naturam: & carnem Chriſti per exaltationem Deificatam eſſe, vt in ſua iam eſſentia idem illa ſit, quod in ſeſe eſt æternus ὁ λόγος. Quod omne tamen falſum eſt: ſiquidem exaltara Chriſti caro vera manet & finita caro humana, in ipſa cœleſti maieſtate & gloria. Adeo igitur non ſufficit hęc fides, vt Chriſtũ, vel orthodoxè, ſine Suēckfeldica deprauatione, Filiũ eſſe Dei credas, niſi cæteri adiungantur fidei articuli; vt ipſi etiam cacodæmones idem credant & clamitârint, nec propterea Eccleſiæ Chriſti membra, ſed hoſtes peſſimi fuerint, maneantque. *Marci* 5. *verſ*. 7. *Act*. 16. *verſ*. 17. 18. *Iacobi* 2. Iſtis igitur notis partim falſis & adulterinis, partim non alienis quidem, ſed neque ſufficientibus, omiſſis: quęrendæ ſunt notæ vſquequaque certæ & infallibiles.

Nota Eccleſiæ Dei interna.

Interna eſt inprimis hęc nota, quę priuatim ſolummodo ſentitur ab vnoquoq; fidelium in ſemetipſo, ſed aliis communicari nequit, & ex qua iudicium de aliis fieri haud poteſt, quod Spiritus ſanctus in cordibus fidelium teſtetur cũ ſpiritu ipſorum, eos eſſe Dei filios: quò ptinet teſtimoniũ bonę cõſci-

Digitized by Google

entiæ coram Deo. *Rom.* 8. *verſ.* 9. 16. 2. *Cor.* 1. *verſ.* 22. *cap.* 13. *verſ.* 5. 1. *Tim.* 1. *verſ.* 19. 2. *Tim.* 2. *verſ.* 19. *Epheſ.* 4. *verſ.* 20. At nos hîc loquimur de ſignis externis è quibus, de aliis & integris cœtibus iudicare, & agnoſcere, veram Dei Eccleſiam poſſimus.

Notæ Eccleſiæ duplicis generis.

Hæc duplicis ſunt generis: aut per ſe infallibilia, aut non niſi cum hiſcè infallibilibus coniuncta.

Infallibiles per ſe.

Notæ per ſe infallibiles illæ ſunt:

Primo, pura verbi diuini doctrina tam Legis quam Euangelii & cuncti fidei Apoſtolicæ articuli, qui in verbo Dei probè fundati ſunt omnes. Sic enim Chriſtus de ouib⁹ ſuis, & voce ſua recipienda, non aliena. *Iohã.* 10. *verſ.* 27. *Cap.* 8. *verſ.* 48. *Epheſ.* 2. *verſ.* 20. 2. *Epiſtola Iohan. verſ.* 9.

Secundo, legitima Sacramentorum diſpenſatio. 1. *Cor.* 10. v. 14. 15. 16. 17. 21. *Cap.* 11. v. 20.

Tertio, recta & ſyncera Dei inuocatio, nõ alio quàm ad vnum verum Deum Patrem, Filium & Spiritum ſanctum directa, & in nomine ac fiducia ſoli⁹ mediatoris Domini noſtri Ieſu Chriſti facta. *Iohan.* 4. v. 22. 23. 24. *Cap* 16 v. 23.

Quarto, debita, erga verba Diuini miniſteriũ, in publicis ac priuatis exhortationib⁹ & piis exercitiis, obedientia. *Matth.* 16. v. 19. *Cap* 18. v. 15. *Hebr.* 13. v. 17.

Infallibiles notæ non per ſe, ſed quia cum cæteris coniunctæ.

Tradidit autem & alias quaſdam Eccleſię ſuæ notas Chriſtus Dominus; ſed ità eas tradidit,

Digitized by Google

didit, vt certæ tum demum ſint, ſi cum hiſcè iam dictis coniunctæ fuerint.

Primo hìc locum obtinet, vitæ & morum ſanctimonia; quæ vt eſt omnibus modis neceſſaria, ita niſi ex fide in Chriſtum ſyncera proueniat, & cum inuocatione coniuncta ſit, neque Deo placere, nec ſignum Eccleſiæ eſſe poteſt. *Rom.* 14. *Hebr.* 11. Si vero cum vera doctrina & fide coniungatur vitæ innocentia, neutiquam vulgare eſt Eccleſię argumẽtum & iudicium. *Matth.* 7. v. 21. *Iohan* 15. v. 4. 7. 10. 14. 15. 1. *Iohan.* 1. v. 7. *Cap.* 2. v. 3. 4. 5. 6. 7.

Secundo, eadem quoque ratio eſt fraternæ dilectionis quam Chriſtus ipſe ponit Eccleſiæ notã, vt ex illa cognoſcantur diſcipuli ſui, *Iohan.* 13. v. 35. Nã & hæc fallit in hypocritis, niſi procedat de puro corde & conſcientia bona, & fide non ficta, 1. *Tim.* 1. v. 5.

Tertio, ad hunc deniq; claſſem referenda eſt & crux atque martyrium: vbi tamen bona cauſſa facit martyrem, non ſupplicium. *Matth.* 10 v. 38. 1. *Pet.* 2. v. 19. 20. 21. Itaque nõ poteſt ex cruce ſimpliciter cognoſci Eccleſia: ſiquidem & hęretici ſæpenumerò obſtinatè ſupplicia ſuſtinent; niſi propter nomen Chriſti & veritatem Euangelii crux feratur. 1. *Pet.* 2.

Sunt igitur vitę honeſtas, dilectio proximi, & crux tum demum certa Eccleſiæ ſigna, ſi cum doctrinę puritate & legitimo Sacramẽtorũ vſu, & vera inuocatione Dei, & obediẽtia ſacro miniſterio debita, coniuncta ſint.

Digitized by Google

Nec dubium, vbi hæc ſigna inueniuntur, ibi Eccleſiam Chriſti eſſe; quãtumuis multi admiſceantur nõ renati homines ac hypocritę.

DE BENEFICIIS ECCLESIÆ.

Beneficia & ornamenta Eccleſiæ.

ORnat autem Chriſtus Eccleſiam ſuã peculiaribus beneficiis, qualia in Symbolo Apoſtolorũ enumerantur nonnulla, eadẽq; ingentia & excellẽtiſſima. Vt ſunt, cõmunio Sanctorum, remiſſio peccatorum, carnis reſurrectio & vita æterna. Præterquam, quod & Spiritus ſancti donis eam præclariſſimis locupletet, & de huius inſuper vitæ reb. neceſſariis ei ꝓſpiciat. Sed hac in parte id pręſtat & largitur Dominus, quod Eccleſię eſt conducibile: nequam illa vitę pręſentis cauſſa, iacturam faciat animæ. *Matth. 16. verſ. 26.* Cæterum nouit pater cœleſtis, quibusnam rebus pii indigeant, priuſquam ipſimet vel cogitant vel petunt. Et Chriſtus ait: *Hæc omnia adiicientur vobis.* Matth. 6. v. 32. 33

Quid communio ſanctorum?

COMMVNIO autem Sanctorum eſt beneficium longè quidem maximũ ſuperãs omnes huius mundi theſauros. Denotat .n. arctiſſimam & planè indiſſolubilem vnionẽ atq; ſocietatem cum Chriſto capite, atq; per ipſum cũ Deo Patre ac Spiritu ſancto, cumq, vniuerſo corpore Eccleſię, hoc eſt cunctis & ſingulis electis atque credentibus: ac porrò ipſam

ipſam ſimul in hac ſumma ac beata coniunctione κοινωνίαν, ſeu communem omnium totius Eccleſię & ſingulorum eius membrorũ, ſiue bonorum ſiue donorum in hac & futura vita, communionem. *Iohan*. 15. *verſ*. 5. *Cap*. 17. *verſ*. 11. 22. 23. 24. *Act*. 4. *verſ*. 32.

Et continet hæc communio in ſeſe res cõplures & per quam egregias. Primo, vnitatem corporis Eccleſię, ſeu ſpiritualem compagem & coalitionem, cum Chriſto tamquã capite & ſingulis inter ſeſe fidelibus, tamquã membris. *Rom* 12 *v*. 5. 1. *Cor*. 10. *v*. 16. 17. *Cap*. 12. *verſ*. 13. *Epheſ*. 4. *verſ*. 3. 5. 6. 12. 16. *Act*. 4. *v*. 32 Deinde intelligitur cõmunio hęc de cõmuni Spiritus ſancti inhabitatione, manſione & vinculo in omnib. credentibus. *Iohan*. 14. *verſ*. 16. 17 26. *Rom*. 8. *verſ*. 9. 11. 14. 15. 16. *Epheſ*. 4. *verſ*. 3. 4. 1. *Cor*. 12. *verſ*. 13. 27. Tertio, includitur in eadem communione & ſacri miniſterii communis vſus: quoad eãdem vocationem, fidem ac ſpem, in verbo Euangelii & Sacramentis propoſitã. 1. *Cor*. 12. *v*. 13. *Epheſ*. 4. *verſ*. 4. 5. 6. *Gal*. 3. *verſ*. 26. 27. 28. Quarto complectitur eã & communem vſum donorum, quib⁹ ſinguli credentes inſtructi ſunt. *Rom*. 12. *v*. 4. 5. 6. 1. *Cor*. 12. *v*. 17. 18. *Epheſ*. 4. *v*. 7. 11. 12. Quinto, communem vſum precum & earundem exauditionis. *Act*. 12. *verſ*. 12. *Rom*. 12. *verſ*. 12. 15. 1. *Tim*. 2. *verſ*. 1. 2. 3. *Iacob*. 5. *verſ*. 14. 16. Ac poſtremo, communem ſignificat hęreditatem, gloriam, lętitiam & beatitatem, vitę cęleſtis. *Galat*. 3. *verſ*. 29. 1. *Cor*.

Digitized by Google

2.*verſ.9. Rom.8. verſ.17. Iohan.17.verſ.2.22.*
24.

Quid peccatorum remiſſio.

REMISSIO verò peccatorum, non tantum eſt condonatio reatus ac pœnæ peccati; ſed etiam gratuita imputatio meritorum Chriſti ad iuſtitiam coram Deo. 2. *Cor.* 5. v. 19.21. Eſtque hoc opus ſolius Dei Patris, Filii & Spiritus ſancti: cui etiam ſoli peccauimus, *Pſal.*51 Nec vlla creatura hoc ſibi arrogare citra blaſphemiam poteſt, *Matth.* 9.v.2.3.6. *Matth.*6.v. 12.15. *Et Lucæ* 11.v. 4.

Quomodo remittant peccata miniſtri?

Quod autem Chriſtus ad diſcipulos ait; *Quorum remiſeritis peccata, remiſſa erunt,* &c. id de miniſterio & officio, intelligendū, annunciandi videlic. peccatorum remiſſionem in nomine Chriſti: non de poteſtate remiſſionis ac virtute, quę ſolius Dei eſt. *Rom.* 1.v.16.2. *Corinth.*5.v. 20. 2. *Petr.*2.v.5. Vult etiam ac præcipit Chriſtus, vt pii inter ſeſe inuicem alius alteri remittant & condonēt. Sed longè aliter Deus remittit quam homines. Ille reatum, & pœnam aufert, nequis credentium veniat in iudicium; hi verò remittunt ſolummodò non vlciſcendo iniurias. At coram Deo nemo noſtrum abſoluere quenquam poteſt, niſi ex mandato, iuſſu & authoritate Dei: id eſt, non propria virtute ac poteſtate, ſed duntaxat per miniſterium. *Matth.*6.v.15.

Quænam peccata remittantur?

Remittuntur autem, non originale tantum peccatum, ſed etiam actualia vniuerſa, interna & externa, cū ipſa quotidiana imbecilli-

cillitate, contra quã interim precibus, & vitę ęmendatione pugnandũ eſt quotidiè ac perpetuò, *Pſal.* 103. v. 3. *Pſal.* 32. v. 1. 2. *& c.* 1. *Iohan.* 1. v. 7. *c.* 2. v. 2. Vnicum eſt peccatum inter omnia irremiſſibile, quod Chriſtus vocat *peccatum in Spiritum ſanctum*: cum videl. nõ ex infirmitate, ſed ex mera obſtinata malitia, & contra conſcientiæ teſtimoniũ, agnitę veritati doctrinæ Euangelii reſiſtitur, & contradicitur, idq; ſine vlla reſipiſcentia, ſeu *finali* (vt Auguſtin. loquitur) *cũ impœnitentia*. Nã ideò & irremiſſibile hoc peccatum eſt, ꝙ cum impœnitentia perpetua coniunctũ ſit. *Matth.* 12. v. 32. 31. *Hebr.* 6. v. 4. 5. *Cap.* 10. v. 26. 27. 1. *Iohan.* 5. v. 16. Etſi verò Deus pro iuſtitia ſua & ſanctitate peccata odit, punitque; quia tamen Chriſtus pro illis in cruce pleniſſimè ſatisfecit, quem ex mera miſericordia mediatorẽ Deus nobis dedit; clemẽter ipſe hominibus ea cõdonat ꝑpter Chriſtum & meritum eius, gratis. *Pſal.* 69. v. 5. *Eſa.* 53. *per totum caput.* 2. *Cor.* 5. v. 15. 21. 1. *Pet.* 1. v. 9. *Cap.* 2. v. 24. *Rom.* 3. v. 21. 22. 23. 24. 25. 26. Et vt maximè Chriſti intercedat meritum, nobis tamen gratis remiſſio obtingit: quia meritum illius eſt, non noſtrum; niſi quatenus gratuitò nobis imputatur fide. *Rom.* 3. v. 25. *Et cap.* 4. v. 4. 5.

Quodnam peccatum irremiſſibile.

Sed quibuſnam, inquiet aliquis, peccata remittuntur? Non omnib. absque vllo diſcrimine: ſed ſolis, & omnib. tamen, in Chriſtum credentibus. *Matth.* 9. v. 2. 3. 5. *Cap.* 1. v.

Quibus peccata remittãtur?

Digitized by Google

21. *Iohan. 3. verſ.*17.18.*Cap.*8.*verſ.*24. *Rom.*3. *verſ.*22.

Quomodo remittātur peccata?

Cæterum ita remittuntur peccata credentibus, non vt nulla ipſis in hac vita remaneant; ſed ne vel in ipſis dominentur, vel eis ad condemnationem imputentur. Deinde, vt in reſurrectione, prorſus, corpore & anima, ab omnibus liberentur peccati reliquiis & maculis. Erit enim illa reſurrectio iuſtorũ, ad vitam: ſed longè alia impiorũ ad iudiciũ, *Iohan.*5.*Matth.* 22.*verſ.*30. *Lucæ* 20. *verſ.*36. *Rō.*6.*verſ.*11.12.*Cap.*7.*verſ.*17.18. 9.*&c.Cap.* 8.*verſ.*21.

Non dubitandum de ſalute.

Hìc falsò Pontificii de gratia Dei & remiſſione peccati & ſalutis certitudine perpetuò in hac vita dubitandum, contendunt. Nam credenda nobis proponitur & cõmendatur, peccatorũ remiſſio; nõ vt de illa ambigatur. Idcircò firmiter eam pii credere debẽt, partim Chriſti merito ſufficientiſſimo, partim veriſſimis Euangelii promiſſionibus probè ſuffulti. *Matth.*9.*verſ.*2.*Rom.*6.*verſ.*11.

Vſus denique huius doctrinæ & fidei eſt longè maximus.

Primo, vt in conſpectu Dei, homo abſoluatur a reatu ac pœnis, *Iohan.*8.*verſ.*36.

Secundo, vt coram Deo ſit iuſtus fide. *Rō.* 3.*verſ.*24.

Tertio, ne veniat in condemnationem, *Iohan.*3.*verſ.*18.*Cap.*5.*verſ.*24.*Rom.*8.*verſ.*1.

Quarto, vt & in his terris, tranquilla coram

ram Deo ſit conſcientia, & liber ad eundem acceſſus, cum fiducia, & inuocatione & patientia & ſpe, *Rom.5.verſ.1.2.*

Quinto, vt ſtudium vitę inculpatę accendatur, *Iohan.5.verſ.14. Cap.3.verſ.21. 1.Petr.2. verſ.24.*

Sexto, vt & in futura vita, credentes ab omni ſorde peccati immunes, cum ſanctis angelis cõſocientur & laudibus ęternis Deum concelebrent. *Apocal.5.verſ.12.13. Cap.15.v.3. cap.7.verſ.14.15.*

CARNIS RESVRRECTIO, iam ſequitur: vbi ante omnia quid caro ſignificet, expendendũ eſt. Ea verò ſignificat aliquãdò humanam naturam integram, ſeu animam humanam & corpus, abſque vllo peccato: ſicuti *Verbum caro factum*, dicitur *Iohã.1.verſ.14.* Plerumque etiam totum hominem, ſed qualis poſt lapſum eſt, peccato obnoxium. *Ioël 2.verſ.28. Act.2.verſ.17. Iohan.3.v.6. Rõ.3.v.20. 1.Cor.15.verſ.5.* Rurſus interdum non tam hominẽ, quam naturæ humanæ corruptionem & vitioſos affectus, denotat. Vt *Rõ.8.verſ.7.8.9.* Quando autem ſermo eſt de reſurrectione carnis, tũc caro ſignificat, corpus humanũ emortuũ. Sicuti Paulus de corpore humano, carnẽ hominũ interpretatur, *1.Cor.15 v.39.44.* Eſt ergo carnis reſurrectio, hominis mortui integra reſtitutio, ſeu animę cũ corpore poſt mortẽ inſtaurata noua cõiũctio & coalitio; ad ęternam toti⁹ hominis, vel beatitatẽ credẽtis, vel condemnatio-

Reſurrectio mortuorum.

Quid ſit carnis reſurrectio.

nem increduli. *Ezech.* 37. *verſ.* 9. *Hiob.* 19. *v.* 25.26.27. *Iohan.* 5. *verſ.* 28.29. 1. *Cor.* 15. *per totũ caput.* De anima verò ſic habendum, quod nequaquã ea intercidat cum corpore: quẽadmodum neque obdormiſcit interim: ſed immortalis omninò ſit, à corpore per mortem diuulſa rediens ad Deum, qui dedit eam, *Eccleſiaſt.* 12. *verſ.* 7. Deinde nec poſt ſeparationem à corpore, incertis illa ſedibus vagatur: verum aut quieſcit in manu Dei, ſi ſit fidelis, aut apud inferos torquetur, ſi ſit infidelis. *Sap.* 3. *verſ.* 1. *Cap.* 4. v. 7. *Lucæ* 16. v. 22.23.

Animæ immortalitas.

Eſt autem certitudinis de reſurrectione beata præcipuum fundamentum & ſolida veritas, ipſa Chriſti Domini noſtri reſurrectio, eiuſdemque virtus ac potentia. *Iohan.* 11. *v.* 25. 1. *Cor.* 15. *verſ.* 12.13.14.15.16.17.54.55.56.57.

Qualis futura reſurrectio?

Qualia verò ſint futura in reſurrectione, corpora impiorum: id iuſto Dei iudicio relinquendum eſt. *Eſdræ* 4. *cap.* 9. Nos de beata piorum reſurrectione hic loquimur. Horũ vſquequaque glorioſa erunt corpora, ſicuti patet *Lucæ* 20. *verſ.* 36. 1. *Cor.* 15. v. 35.36. *Phil.* 3. v. 21. 1. *Iohan.* 3. v. 2. Eadem tamen corpora quæ geſtauimus in hac vita reſurgẽt: verum ab omni labe & vitio repurgata, perfecta & glorioſa, quinetiam æterna immortalitate exornata, ipſiuſque Chriſto glorioſo corpori conformia: vt ſicut geſtauimus imaginem Adami terreni, ſic geſtemus etiam imaginẽ Adami cœleſtis, qui eſt Dominus de cœlo,

1. *Cor.*

Digitized by Google

1.*Cor*.15.℣.42.43.44.45. *Philip*.3.℣.21. 1.*Iohan*.3.℣.2.

VITA RESTAT ÆTERNA, beneficiorum Eccleſię cõplementum. Ea quid ſit, in hac vita dici aut explicari haud poteſt, 1. *Cor*. 2.*verſ*.9. 2.*Cor*.12.*v*.4.

Quid vita æterna?

Certum tamen eſt, omnino credendum, quod vita illa æterna ſit ineffabilis gloria, iucunditas, ac beatitudo in conſpectu Dei ꝓpitii, cæleſtis, perfecta, æterna, adeoq; inſatiabilis, omni tædio carens ac faſtidio: qualis promittitur *Rom*. 8.*v*.18.1.*Cor*.13.*v*.12.2.*Cor*. 5to per totum ferè caput, *c*.3. *v*.18.*Eſa*.66.*v*. 10.11.*Ap*.8.*v*.15.16.17.*cap*.21.*v*.12.*cap*.22.*v*.1. 2.3.4.5.6.

CAPVT QVINTVM.

DE IVSTIFICATIONE HOMINIS CORAM DEO: & BONIS OPERIBUS.

CVm credentes, qui Eccleſiæ Dei membra & benedicti illi Patris cæleſtis ſunt, *iuſti* appellentur, *Matth*.25.*verſ*.37.46. vnde id nominis acquirant, & quomodo coram Deo iuſti ſint, diſpiciendum.

Credentes in Chriſtum, iuſti dicuntur.

Primò, enim, haud vllus mortalium, in hac totius humanæ naturæ deprauatione, per ſe, coram Deo, iuſtus eſſe poteſt, *Geneſ*.6.*v*. 5.*cap*.8.*verſ*.21.*Pſalm*.14.*verſ*.2.*Hiob*.25.*verſ*. 4.5.6.*Pſalm*.43.*verſ*.2.*Eſ*. 64.*verſ*.6.*Roman*.

Nemo iuſtus, naturâ corruptâ.

Digitized by Google

æterno ad iuſtitiam & ſalutem deſtinati ſunt à Deo, quibus fidem erat largiturus, *Epheſ.* 1. Deinde ideo iuſtitia noſtra dicitur, quod ipſe Chriſtus Dei Filius & verus Iehoua, ſit à Patre miſſus ad perficiundum redemptionis noſtræ opus, & ſatisfactionem iuſtitię diuinæ pro peccatis noſtris, præſtandam, quã & plenè exoluerit, 1. *Cor.* 1. ℣. 30. 2. *Cor.* 5. v. 25.

Quærunt etiam hìc aliqui, ſi Chriſtus noſtra iuſtitia, ꝓpter imputationẽ quę fit fide; an igitur ſanctæ natiuitatis eius innocẽtia & vitæ eius integritas, æquè credentib. applicentur, atq; paſſionis & mortis eius meritũ? Nobis aũt, vt parum neceſſaria hæc videtur quæſtio, ita ſufficit quod ſciamus, Chriſtum nõ eſſe diuiſũ, nec redẽptionis in ipſo opus: vt ergo tot⁹ Chriſt⁹ noſter eſt, ita etiã qcquid ille redemptionis noſtræ cauſa fecit ac ſuſtinuit. Hoc eſt, in merito Chriſti, tã humiliationis eius q̃ glorificationis integer ſtatus, vno cõplexu cõſiderandus eſt: nec mortis duntaxat cõplementũ, ſed etiã natiuitatis eius atq; ipſius cõceptionis initiũ, cũ intermediis cũctis, cõputanda ſunt: quẽadmodũ etiã in efficacia ipſi⁹, tot⁹ cũ ęterna electione gratuita ſtat⁹ glorificationis. Nã hęc vniuerſa ad plenã generis humani pertinent redẽptionẽ. Quò minus neceſſariũ videtur, ſcrupuloſè Chriſti ſudorem ſanguineum in horto, cum ſanguine ſeu cruore flagellationis & coronationis eius, à ſanguine in cruce demum effuſo & mortis conſummatione, diſpeſcere: & huic

An Chriſti innocentia in tota eius conuerſatione credentibus imputetur.

Digitized by Google

ram Deo non obtinetur; primum quià con-ſtituta operum iuſtitia, deſtrueretur iuſti-tia fidei: neque tàm Chriſtus & iuſtitia me-ritumque eius, quàm noſtra nobis opera & merita forent imputanda: adeoque mortis Chriſti meritum euacuaretur, *Gal.2.verſ.21.* Deinde, quia opera noſtra, in hac naturę im-becillitate, imperfecta ſunt omnia; quò mi-nus vel diuinæ ſatisfaciant legi, vel quicquã mereantur, vel ſine Chriſti gratia ac fide bo-na eſſe poſſint, *Romanor.7.verſ.12.13.14.cap. 14.verſ.23.*

tio ſit ex bo-nis operibus?

Sed neque fide in Chriſtum & ſimul bo-nis operibus noſtris hanc iuſtitiam conſe-quimur: nempe propter extremam contra-dictionis implicationem, quod duo contra-dictoria ſimul nequeant eſſe vera. Etenim, ſi gratia Dei eſt per fidem: non iam meritum ex operibus noſtris: alioqui gratia deſineret eſſe gratia, *Rom.11.*℣*.6.*

An fides & bona opera coniunctim iuſtificent?

Quia verò ſola fide iuſtificantur coram Deo homines: diligenter cogitandum eſt, quid vox *iuſtificandi*, quid item *fides*, & vo-cula *gratis*, in hoc ſibi negotio velint? Neque enim iuſtificatio hîc ſumitur pro iuſtitiæ in quopiam reperto teſtimonio aut pro homi-nis innocentia: ſicuti olim iuſtificata, id eſt, iuſta & innocens reperta eſt in iudicio Su-ſanna: ſed *iuſtificari* dicuntur hoc loco, qui-bus obtingit remiſſio culpæ & pœnæ, & iu-ſtitia gratis imputatur, per & propter Chri-ſtum, *Pſalm.143. Romanor.3. verſ. 20. 24.*

Iuſtificatio quid?

Digitized by Google

Rom.3.✝.*26.Eph.1.*✝.*6.19.Rom.4.*✝.*9. 1.Pet.* 1.✝.9.*Johann.3.*

Porrò de vocula *Gratia* & *gratis*, ita ſentiendum eſt, quod *Gratia*, in præſenti negotio, ſignificet miſericordiam ac dilectionem Dei gratuitam, qua ille in Chriſto & propter Chriſtum, nos complecti dignatur: non autem infuſam aliquam virtutum gratiam, in nobis ipſis inhærentem, ſeu habitualẽ, propter quam Deo placeamus, *Joh.3.*✝.*16. Eph.c.2.*✝.*8.Joh.*1.✝.14.16.17.

De vocula, gratiæ: & quid ea ſignificet

Cur autem vox *gratia* de virtutum habitu non ſit intelligenda, hiſce demonſtratur euidentiſſimis rationibus. *Primò*, quod nuſquam in cauſſa iuſtificationis humanæ coram Deo, *gratia* vox explicetur, de noſtra erga Deum aut proximum, ſed tantum de ſolius Dei erga nos, dilectione, *Epheſ.1.verſ.6.7.cap.2.verſ.*8. Neque enim *gratia* hæc ad noſtra aliqua opera, aut probitatem noſtrã, ſed ad opus reconciliationis noſtræ in Chriſto factæ, refertur. *Secundò*, gratiam illam S. Scriptura, exponit de peccatorũ remiſſione & imputatione iuſtitiæ gratuita, *Actorum* 10. *verſ.* 43. *cap.* 15. *verſ.* 11. *Romanorum* 4.✝ſ.3.4.5.

Tertiò, cum hæc gratia non iam demum, ſed ante iacta mundi fundamenta nobis in Chriſto obtigerit: de virtute aliqua noſtra intelligi ea minimè poteſt, *Eph.1.verſ.6.7. 2. Timoth.1.verſ.9.*

Sic etiam particula *gratis*, perſæpe in

De particula: gratis.

Digitized by Google

iuſtificationis humanæ in ſolo Chriſto ſpectetur.

Cęterum neque noua nec inuenta nuper eſt hæc phraſis, de *ſola fide iuſtificante*: ſed frequens eiuſdem vſus, cum in Scriptura ſancta, tum apud probatos Eccleſiæ primitiuæ patres atque doctores, reperitur.

Phraſis de ſola fide iuſtificante vetuſtiſſima.

Primò, Chriſtus ipſe ad Jairum ait Marci 5. ℣. 36. *Ne metue, ſolummodo crede.*

Deinde, Paulus quoties affirmat hominẽ iuſtificari fide, toties addit: *abſq; legis operib.* Item, *fide, gratis.* Item, *per fidem, idq; non ex operibus.* Item, *per fidem, idq; non ex nobis*, Roman. 3. Eph. 2.

Præterea ponit Apoſtolus ad *Gal.* 2. ℣. 16. pro excluſiua particula, *Sola*, æquipollentem aliam, nempe, NISI, cum adiecta operum excluſione. *Scientes*, inquit, *non iuſtificari hominem ex operibus, niſi per fidem Ieſu Chriſti: & nos in Chriſtum credidimus vt iuſtificemur ex fide Chriſti, & non ex operibus Legis.*

Denique accedit totius orthodoxæ antiquitatis conſenſus vniformis ac perpetuus.

S. Patrum de fide ſola, teſtimonia.

Origenes, qui vixit & floruit anno Domini 230. in *Epiſtolam ad Roman. lib.* 30. & *Cyprianus* qui 20. poſt annis docuit *lib.* 3. *contra Judæos, c.* 42. vſurpant phraſin, *Fide tantum.*

Hilarius anno 345. & aliquanto ante, in *Matth. can* 8 & *Baſilius* anno 370. *ſermone de Humilitate* & *Chryſoſtomus* decẽnio pòſt in *cap.* 3. *ad Romanos*: item σύγχρονοι, Hierony-

Digitized by Google

Vbi igitur gloriatio? excluſa eſt.

Alterum argumentum. Omnis fiducia ac ſpes iuſtificationis & ſalutis humanæ conſiſtit in ſolo ſemine mulieris, primis parentibus totique eorum poſteritati promiſſo, vt conterat caput ſerpentis, *Gen.* 3. Semen verò illud mulieris, eſt Chriſtus Dei Filius, *Eſa.* 7. *v.* 14. Igitur in ſolius Chriſti fiducia, iuſtitiam ac ſalutem, homines conſequuntur.

Tertium. Nulla eſt alia iuſtificationis humanæ coram Deo, via aut ratio, præter illam, qua iuſtificatus eſt Abraham, *Galat.* 3. *v*: 8. 9. Omnis autem via & ratio iuſtificationis Abrahæ conſiſtit in ſola fide mediatoris Chriſti, *Rom.* 4. 5. Nulla eſt igitur alia via aut ratio iuſtificationis humanæ coram Deo, niſi per ſolam fidem Chriſti mediatoris, *Act.* 4. 10. 15.

Quartum. Vera coram Deo iuſtitia, fide gratis, homini imputatur, *Rom.* 4. *verſ.* 3. Operum verò iuſtitia, quæ eſt merces ex debito, non eſt iuſtitia fide gratis imputata. Ergo non operum, ſed ſolius fidei iuſtitia, vera coram Deo hominis eſt iuſtitia. Vel ſic: Iuſtitia hominis coram Deo aut operum legis eſt, aut ſolius in Christvm fidei: Atqui operum legis non eſt: Ergo ſolius in Chriſtum fidei.

Quintum. Quod ante legem promiſſum, id ſoli fidei (non legis operibus) tribuendum eſt: Atqui iuſtificatio coram Deo, ante legem, Abrahæ & ſemini eius pro-

Nonum, Quos Scriptura beatos pronunciat; illi verè iuſti coram Deo ſunt. Scriptura beatos pronunciat eos, quibus remiſſæ ſunt iniquitates, & quib. peccata nō imputantur: Ergo quibus remiſſę iniquitates & peccata tecta, verè coram Deo iuſti ſunt. Iam remiſſio peccatorum, non aliter quàm per ſolam fidem in Chriſtum impetratur. Sola igitur in Chriſtum fides verè coram Deo iuſtificat, *Matth.* 9. ℣. 2.

Decimum, Si credentes in Chriſtum, absque merito operum, gratis in Chriſto electi ſunt ad ſalutem, ante iacta mundi fundamēta, non vtique per aut propter opera legis, ſed ſola in Chriſtum fide, illi iuſtificantur: Atqui prius eſt: Ergo & poſterius, *Rom.* 8. ℣. 30. *Epheſ.* 1. *verſ.* 1. &c. Vel ſic: Si gratuita ſit electio, certè etiam iuſtificatio: Siquidem hæc illius eſt effectum. Atqui electio gratuita eſt facta in Chriſto Ieſu, ante iacta mundi fundamenta, adeoque ante opera hominum quælibet: Ergo & iuſtificatio gratuita eſt, non ad opera hominum, ſed ad ſolā gratiæ ac meriti Chriſti fidem referenda.

Undecimum, ſumitur à pronunciatis Scripturæ ſanctæ, quibus non alia niſi ſola fidei in Chriſtum iuſtitia, homini tribuitur, *Pſal.* 32. *verſ.* 1. 2. *Pſalm.* 130. *verſ.* 3. 4. *Pſalm.* 143. *verſ.* 2 *Eſa.* 49. *verſ.* 23. *Jerem.* 5. *verſ* 3. *Habac.* 2. *verſ.* 4. *Matth.* 9. *verſ* 2. & 22 *Johan.* 1. *verſ.* 12. *cap.* 3. *verſ.* 14. 16. 18. 36. *cap.* 6. *verſ.* 47 *cap.* 8. *verſ.* 24. *Johan.* 20. *Actor.* 10. *verſ.* 43. *cap.* 15. *v.*

Digitized by Google

quod ideo illa non iuſtificet, niſi perfectè impleatur.

Secunda, ex eadem lege & gentes ille coram Deo reos peragit; propter quam neglectam Iudæos accuſarât, & cuius opera non iuſtificare dixerat. Atqui ad gentes nil pertinebant cæremoniæ; &, vbi lex non eſt, ibi nec transgreſſio. Sed lex Moralis etiam gentes conſtringebat. De hac igitur propriè ſermo eſt Apoſtolo.

Tertia, Expreſsè primum & ſecundum ille decalogi præcepta vrget, *Romanorum* 1. *verſ.19. & 23.* non cæremonias. *Et capite* 2. *verſ.21.* octauum, ſeptimum atq; ſecundum præcepta, adducit. Eius verò ipſius legis, per quam ſit peccati cognitio, operibus, iuſtificationem, in hac tanta generis humani deprauatione & carnis imbecillitate, derogat: imò, illam operari iram, & peccatum efficere ſummè peccatum, aſtruit. Quamobrem nil minus, quam de lege ait cæremoniali: verum de non ſeruata lege decalogi; cuius neglectæ maledicto prematur atque damnetur vniuerſum genus humanum. Quemadmodum & Iacobus ait, *eum qui labatur in vno, totius legis reum conſtitui*, Iacob.2.v.10.

An iuſtitia operum amplificet merita Chriſti?

Preterea ſic aliqui argumentantur: Quicquid meritum Chriſti amplificat; id Euangelio non aduerſatur. Sed operum iuſtitia amplificat eius meritum; quod ni-

Digitized by Google

ſegnes effici: Atque hoc ſequeretur, ſi bona opera inutilia & minus neceſſaria eſſe diceremus. Verum ſic nemo noſtrûm vel ſentit, vel docet. Hæc autem eſt ſententia: non eſſe opera noſtra cauſſam iuſtificationis noſtræ coram Deo: eſſe nihilominus tamen perneceſſaria & in primis vtiliſſima, propter alias grauiſſimas cauſſas. Nimirum, vt Deo obediamus, & pro liberationis ac redemptionis beneficio grati ſimus, fidem ſimul erga Deum atque dilectionem erga proximum, bonis operibus teſtificantes. Nec verò vllum poteſt opus bonum ac Deo placens fieri, antequam ſola in Chriſtum fide iuſtificatus homo fuerit, *Rom.*14.*verſ.* 19. Tantum abeſt igitur, vt hęc doctrina reiiciat bona opera, aut quemquam ad ea ſegniorem reddat: vt ea demum ſternat viam, & fundamentum iaciat verè bonorum operum. Quò pertinent exhortationes illæ grauiſſimæ *Rom.*12. *Gal.*2.6. *&* *Rom.*6. *verſ.* 15. *item verſ.*12. *&* 18. &c.

An charitas maxima virtus? Et, an vlla virtus iuſtificet.

Huc & illud addendum. Maxima virtus maximè iuſtificat: Charitas eſt virtus maxima: Ergo maximè illa iuſtificat: non, *ſola fides*. Deſumptum eſt argumentum ex 1. *Cor.* 13. *verſ.*13. ſed admodum alienè. Illic .n. Apoſtolus nil minus, quā de iuſtificatione hominis, agit: ſed deſcribit officium, vitam ac mores iuſtificatorum. *Deinde* nec fidei charitatem ille præfert reſpectu aut ratione iuſtificationis; verum reſpectu tātum

durabilitatis: quod charitas maneat, fide ac ſpe, poſtquam cōpletæ erunt beatitatis promiſſiones, ceſſantibus. *Poſtremo*, facilè totum argumentum concederetur ſecundum doctrinam Legis: modò charitas eiusmodi daretur, quę perfectioni legis plenè reſpondeat. Id verè quis præſtabit inter omnes? Euangelium ergo, non virtutibus noſtris, ac ne ipſi quidem fidei, quatenus ea virtus eſt, iuſtificationem tribuit: ſed gratiæ duntaxat & merito Chriſti: ac proinde nec fidei ſoli aliter, quam quatenus ea in Chriſto recumbit, vt ante dictum eſt.

An dilectio peccata contegat.

Pergunt hoc modo: Quicquid contegit peccata, id certè iuſtificat. Dilectio contegit multitudinem peccatorum. Ergo iuſtificat. Sunt autem quatuor in argumento termini. Maior enim de dilectione Dei & remiſſione peccatorum coram ipſo (& non aliter) intelligenda eſt. Sed aſſumptio de mutua hominum dilectione & iniuriarum condonatione loquitur. Nihil igitur facit ad iuſtificationem operum coram Deo.

Colligamus autem quęcumque porrò ab aduerſariis excogitari & obiici ſolent, veluti in vnum faſciculum: vt vna reſponſione nos expediamus.

Quomodo operibus tribuatur iuſtitia & ſalus?

Operibus, inquiunt reſipiſcentię & ſanctitatis: item cultus diuini internis & externis: itemque operibus dilectionis & miſericordiæ: quinetiam vocationis, in

qua

qua quiſque conſtitutus eſt, &c. iuſtitia tribuitur & ſalus. At illa cuncta ſunt bona opera: Bonis igitur operibus (non *ſoli fidei*) iuſtitia trāſcribēda. Probatur maior propoſitio. Nam primo ad reſipiſcentiam quod attinet, extant teſtimonia, de contritione, 2. *Cor*. 7. *verſ*. 10. *Matth*. 3. *verſ*. 2. 3. De noua obedientia *Eſa*. 1. *verſ*. 16. 17. 18. *Ionæ* 3. *verſ*. 11. *Roman*. 8. *verſ*. 10. *Hebr*. 5. *verſ*. 9. De ſanctitate *Hebr*. 12. *verſ*. 14. De tota regeneratione, *Iohan*. 3. *verſ*. 5.

Secundo, De auditu verbi Dei, *Lucæ* 11. *v*. 28. *Iohan*. 14. *verſ*. 21. 23. *Iacob*. 1. *verſ*. 21. *Apocal*. 1. *verſ*. 3. De timore Dei, *Philip*. 2. *verſ*. 12. De confeſſione peccatorum, 1. *Iohan*. 1. *verſ*. 9. De inuocatione, *Ioël*. 2. *verſ*. 32. De dilectione Dei, *Roman*. 8. *verſ*. 28. De patientia & ſpe, *Roman*. 5. *verſ*. 4. De fidei confeſſione, *Matth*. 10. *verſ*. 32. *Rom*. 10. *verſ*. 20. De pietate in genere, 1. *Tim*. 4. *verſ*. 8.

Tertio, de operibus miſericordiæ ac dilectionis proximi, *Matth*. 5. *verſ*. 5. 7. *Matth*. 25. *verſ*. 34. *Lucæ* 16. *verſ*. 9. De condonatione mutua, *Matth*. 6. *verſ*. 14. *Lucæ* 6. *verſ*. 37. De eleemoſynis, *Deut*. 24. *verſ*. 13. *Daniel*. 4. *verſ*. 27. *Iob*. 4. *verſ*. 11. *cap*. 12. *verſ*. 9. De dilectione in genere, *Lucæ*. 7. *verſ*. 47. *Rom*. 13. *verſ*. 8. *Gal*. 6. *verſ*. 2. 1. *Iohan*. 2. *verſ*. 10. *cap*. 4. *verſ*. 6. 7.

Quarto, De operibus vocationis, *Dan*. 12. *verſ*. 3. *Pſal*. 106. *verſ*. 30. 31. 1. *Cor*. 3. *verſ*. 8. *Coloſſ*. 3. *verſ*. 24. 1. *Tim*. 3. *verſ*. 13.

Digitized by Google

Ad hæc vniuerſa paucis ac ſolidè reſpōdetur, argumentum eſſe, à non cauſſa vt cauſſa. Nam cunctis illis & ſingulis bonis operibus, non vt cauſſis, verum vt ſignis tantum & fructibus ac teſtimoniis fidei, iuſtitia tribuitur. Sunt enim iuſtificantis fidei effecta, *Galat. 5. verſ. 6.*

Sequitur iam de bonis operibus vera Scripturę ſententia.

DE BONIS OPERIBVS.

Bona opera non cauſſa ſed fructus iuſtificationis.

SIc enim ſtatuendum ſemel, quod bona opera ſint effecta fidei, & ipſius iuſtificationis fructus, non cauſſa. Qui namque iuſtus necdum eſt, iuſta facere haud poteſt, *Iohan. 3. verſ. 7.* Quemadmodum ſcitè & grauiter Auguſtinus de fide & operibus, cap. 14. ait: *Cum dicit Apoſtolus, iuſtificari hominem per fidem abſque operibus: non hoc agit, vt percepta ac profeſſa fide, opera iuſtitiæ contemnantur: ſed vt ſciat ſe quiſque per fidem poſſe iuſtificari, etiamſi legis opera non præceſſerint.* Sequuntur enim iuſtificatum: non pręcedunt iuſtificandum.

Quænam ſint bona opera?

Sunt autem bona opera, non traditiones humanę, quibus incaſſum Deus colitur. *Matth.* 15. ſed opera dilectionis Dei & proximi, tam interna, quam externa, & quęcumque Deus in verbo ſuo, facienda vel omittenda, præcipit hominibus, nempè

iuxta

iuxta voluntatem ac mentem eius exactè præſtita. *Matth.* 5. *verſ.* 19. 20. 21. *Cap.* 15. *verſ.* 3. 4. 5. 6. 9. *Lucæ* 10. *verſ.* 27. 28. *Iacob.* 2. *verſ.* 10.

Ac diſtinguűtur bifariam: Aut enim legis ea ſunt aut Euangelii. Legis opera propriè dicuntur, quæ homo, ſecundum exactam legis normam propriis viribus in prima creatione acceptis, plenè ac perfectè ſic præſtàt, vt nulla in parte, ac ne in minima quidem aberret aut deficiat, *Lucæ* 10. *verſ.* 29. *Iacob.* 2. *verſ.* 10. Sed in hac naturæ deprauatione, poſt lapſum primorum parentum, nemo mortalium ad hanc perfectionem conſcendere poteſt. *Roman* 3. *verſ.* 19. 20. 33. *Cap.* 7. *verſ.* 8. 14. 18. *Epheſ.* 2. *verſ.* 2. 3. *Iohan.* 3. *verſ.* 6. *Roman.* 8. *verſ.* 3. 5. Ex quo nihil ſequitur aliud, quam vniuerſum genus humanum inde à lapſu Adami legis maledicto, reum teneri, *Deut.* 24. *verſ.* 26. nec poſſe quenquam ſuis eluctari viribus, niſi aliunde ipſi ſuccurratur. *Romanorum* 3. *verſ.* 20. *Cap.* 4. *verſ.* 15. *Cap.* 7. *verſ.* 24. 25. *Cap.* 8. *verſ.* 3. 4.

Bona opera legis.

Euangelii verò bona opera, tametſi hæc eadẽ ſunt quæ Deus in Lege à nobis requirit; alia tamen fiunt ratione & alio fine. *Primo* quidem, non è propriis hominum viribus, ſed fide in Chriſtum, iuxta promiſſiones Euangelii, adiuuante Spiritu ſancto, vt in Deo facta ſint. *Deinde*, nec

Bona opera Euangelii.

Digitized by Google

hypocritica ſunt ad ſplendorem coram hominibus facta: ſed ex animo, ad gloriam Dei & proximi vtilitatem.

Tertio, nec eo fine opera bona ſub Euangelio vel poſtulantur vel fiunt, vt illis iuſtitiam coram Deo ac ſalutem conſequamur: ſed vt fide iuſtificati Deo obediant & ſeſe gratos exhibeant, fidem operibus teſtificantes atque dilectionem. Iuſtitiam enim & ſalutem ſolus Chriſtus nobis acquiſiuit morte ſua & reſurrectione, & gratis confert credentibus; at bona opera neceſſaria tamẽ ſunt & omnino ab illis exiguntur, vt obedientiam & gratitudinem Deo præſtẽt, ac dilectionem proximo. *Iohan.3.verſ.6.21 cap.15.verſ.4.5.Rom. 8.verſ.10.11.12.13.14.26.cap.14.verſ.23.2.Cor. 5.verſ.14.15.Epheſ.2.verſ.10.15.16.cap.4.verſ. 20.21.22.23.24.*

Claſſes bonorum operum. Quanquam verò hæc bona opera varia ſunt & patent latiſſimè; attamen hiſce potiſſimum capitibus, ac veluti ſpeciebus & claſſibus comprehenſa diſtinguuntur.

Opera cultus diuini. *Primo*, ſunt opera cultus diuini. Vtpote, interna pietas animi, quoad fidem, reſipiſcẽtiam, timorem Dei, dilectionem, humilitatem, patientiam, ſpem & perſeuerantiam, &c. *Itemque* externa a Deo inſtituta cultus diuini exercitia, publicorum videlicet Eccleſię cœtuum & congreſſuum, verbi diuini prædicationis & auditus, legitimæ diſpenſationis Sacramentorũ, cum inuocatione Dei

& gra-

& gratiarum actione, profeſſione fidei, inſtitutione iuuentutis, diſciplina Eccleſiaſtica, ac debita erga miniſterium Euangelii obedietia. Quô pertinet, vno nomine, tota Sabbati ſanctificatio. *Leuit.26.verſ.2.4.Pſal.122.verſ.1.1.Cor.11.verſ.17.cap.14.verſ.26.Hebr.10.verſ.25.Johann.4.verſ.24.Matth.6.verſ.1.vſque ad 24.*

Secūdo, ſunt labores ordinarii in vnaquaque vocatione legitima, ſiue Eccleſiaſtica & ſcholaſtica, ſiue politica aut œconomica, inter quoſlibet hominum ordines. *Rom.12.verſ.7.1.Cor.4.verſ.2.Matth.25.verſ.15.Johā.21.verſ.15.* *Opera vocationis.*

Tertio, ſunt opera ſanctificationis, quoad integritatem vitę ac morum. *Rom.12.verſ.2.Epheſ.2.verſ.10.cap.4.verſ.21.23.1.Theſ.4.v.1.2.3.&c.Matth.5.verſ.8.cap.6.verſ.22.23.* *Opera ſanctificationis.*

Quarto, ſunt opera mutuæ dilectionis & miſericordiæ Chriſtianæ erga proximum. Quô pertinent mutua condonatio iniuriarum, fraternæ itèm exhortationes & conſolationes, viſitatio afflictorum, cura viduarū, orphanorum, peregrinorum, item ratio mutui & eleemoſynarum ac ſimilium officiorum, ad ſubleuandos pauperes requiſitorum, & ſic deinceps. *Matth.5.verſ.1.2.3.4.5.6.7.9.39.40 &c.cap.6.verſ.1.2.3.4.Lucæ 6.verſ 30.vſque ad 36.tum Romanor.12.verſ.10.Iohan.13.verſ.34.1.Cor.13.per totum caput.* *Opera dilectionis.*

Quinto, ſunt opera militiæ Chriſtianæ, *Opera Chriſtianæ militia.*

ſub cruce atque in tentationib. contra diabolum, mundum, propriam carnem, atque etiam contra furorem & rabiem tyrannorum, omnemq; vim, iniuſtitiam ac ſæuitiam, deniq; & contra fraudes hypocritarum, ſuſtinendę.

Quæ in primis exigunt patientiam, ſpem & perſeuerantiam. *Matth.* 5. *verſ.* 11. *cap.* 10. *verſ.* 17. 18. *cap.* 16. *verſ.* 24. 25. 26. *Iohann.* 16. *verſ.* 2. *cap.* 20. *verſ.* 18. 19. *Romanor.* 7. *verſ.* 18. 2. *Cor.* 5. *verſ.* 15. 16. 17. *Gal.* 2 *verſ.* 19. 20. *cap.* 5. *verſ.* 24. *Epheſ.* 6. *verſ.* 10. &c. 1. *Pet.* 5. v. 8. 9. 10. *Iacob.* 4. *verſ.* 7. 1. *Tim.* 1. *verſ.* 19. 2. *Tim.* 2. *verſ.* 3. 4.

De meritis bonorum operum.

In hiſce triplex conſtituit meritũ Theologia Scholaſtica. Vtpote, *congrui*, cum ex ꝓprio bono motu quiſpiã naturaliter, primã (vt loquũtur) gratiam præuenientem promeretur. Deinde, *meritum digni*, vt, ſi iuſtus orans pro peccatore, exaudiatur. Tũ quoq; meritum condigni, vt homo prima adiutus gratia, ſeſe per bona opera dignum reddat vita æterna, &c.

Sed merus iſte eſt Pelagianiſmus & vana propriarum virium fiducia: quam penitus euertit Apoſtolus omnem, Epheſ. 2. verſ. 8. 9. inquiens: *Gratis per fidem ſeruati eſtis: idq; non ex vobis. Donum Dei eſt, non ex operibus, ne quis glorietur.* Ac ibidem ille docet, pios nihilominus ad bona opera pręſtanda, obſtringi, primò propter creationẽ, ſecũdò ꝓpter regenerationẽ in Chriſto, tertio propter

pter finem creationis, regenerationis & vocationis. *Ipſius*, inquit, *factura ſumus, conditi in Chriſto Ieſu, ad opera bona, quæ præparauit Deus, vt in eis ambulemus.* Vide etiam *Luca* 17. *verſ.* 8. 9. 10.

Gratis interim piis Deus benedicit, qui ſtudioſi bonorum ſunt operum. Nam *pietas ad omnia eſt vtilis, promiſſionem habens huius & futuræ vitæ.* 1. Tim. 4. Etſi verò præmia benè agentibus promittuntur; gratis tamen id ipſum fit; non ex merito vel debito. Deus enim non quidem noſtra merita (quæ nulla ſunt) verum dona ſua in nobis coronat: ſicut *Auguſtinus* loquitur in 50ta homiliis, *homilia* 14. vide *Matth.* 20. *v.* 14. 15. 16. Nihil autẽ opera merẽtur & ne hoc quidem, quod bona æſtimẽtur: id. n. ex fide Chriſti eſt, eiuſque gratia; alioquin ſi cõſideretur noſtra imbecillitas, tàm ſunt opera noſtra imperfecta & manca, vt vel ſanctiſſimis quotidie ſit opus remiſſione peccatorum, *Pſal.* 32. v. 6. *Matth.* 6. v. 12. 14. Operibus autem imperfectis, non modò merces debetur nulla, verumetiam pœna, *Iac.* 2. v. 10. 11.

Præmia bonorum operum gratuita: non meritoria.

Nec tamen imperfectio illa vel ex Deo eſt, vel ex lege eius: verum ex nobis, *Rom.* 7. v. 13. *cap.* 8. v. 3.

Operum imperfectio vnde?

Hìc obiiciunt aliqui. Quia Deus perfecta mãdat opera: aut ea ipſum ſeriò præſtari velle: adeoque perfectè fieri à nobis poſſe, alioqui Deum non fore omnipotentem, aut nolle fieri ea perfectè, atque tunc voluntatẽ

eius legi aduerſari; adeoque veram legis impletionem iuxta voluntatem Dei conſtituendam in imperfectione. Vbi permulta veniunt conſideranda. Vult enim Deus legi ſuę ſatisfieri a nobis ipſis, quatenus primo homini vires dedit ſufficiētes, ante lapsū, vt implere eam potuiſſet, ſi vellet. Iam verò poſt lapſum, legem repetit vt tanquam creditor, debitum à nobis exigat, licèt ſoluendo amplius non ſimus; eo ſaltem fine, vt virib. noſtris diffiſi, coram ipſo humiliemur.

Deinde conſectarium non eſt, quia Deus impletionem ſuæ legis, iuſtè ac ſerio à nobis exigit ac poſtulat:q; ideo nos eam præſtare poſſimus. Non magis, quam debitor quiſpiam ideò ſoluendo eſt, quod creditor debitum repetat.

Tum neque hoc ſequitur, ſi Deus impleri legem ſuam velit, quod tunc aut neceſſario à nobis ea impleatur, aut Deus non ſit omnipotens, qui efficere, quod velit nequeat. Neque enim Deus (cui nil impoſſibile) impleri vnquam legem ſuum à nobis voluit, per ſuā omnipotētiam: alioquin ipſe eam impleret, nō homo. Sed impleri eā voluit ab homine, viribus propriis, in creatione prima ei conceſſis; idque non coactè per vim ſuæ omnipotentiæ, ſed liberè & ſuapte ſponte, Nam ideò Deus hominem ad imaginem ſuā condidit, vt liberè bonus eſſet, ſicuti & ipſe Deus liberrimè bonus eſt.

Prætereà neq; hoc inferri poteſt, ſi non

per

per omnipotentiam ſuam Deus efficiat, vt homo perfectè ſit iuſtus: tunc nolle Deũ legi ſatisfieri. Vult enim ille ſerio & conſtanter quę bona ſunt & auerſatur omne peccatum, *Pſal.5.& 45.* verũ in eo vitium eſt ac defectus, quod diſiunctiua hîc allata ſit manca & mutila. Non ſatis.n. eſt dicere: *Deus impleri legem ſuã vult, aut non vult.* Sed addendũ tertio loco, *aut tametſi vult, & tametſi homo, voluntati eius non reſpondet, ideo tamen legem & voluntatem ſuam Deus ei proponit, vt agnita ſua imperfectione, diſcat humiliari & ad Chriſtum eiusq; miſericordiam confugere.* Sic demũ plena fuerit diſiunctiua. Quapropter hoc argumentum, eſt ab inſufficienti partiũ enumeratione, inefficax. *Deinde* ducitur etiã illud, a non cauſſa vt cauſſa. Neque enim per voluntatem Dei bonam aut per eius omnipotentiam ſtat, quo min⁹ lex ab homine impleatur: verum in homine ipſo defectus eſt, propter lapſum Adami ac totius naturæ deprauationem. Quæ certè imputari Deo non debet, qui verè bonum hominem condiderat: & liberam & plenam obedientiam iuſtè ab ipſo poſtulat, iuſtoq; damnat iudicio ſpõtaneã hominis, in quã prolapſus eſt, malitiã. Eſt autem ingens illa Dei miſericordia quod homini peccata deploranti & miſericordiã petenti ſit propitius. *Rom. 11. verſ. 32. Galat. 3. verſ. 22.*

Inſtant iſti. Poſſe ſaltẽ ipſos renatos perfectis bonis operib. legẽ Dei implere: ſiqui-

dem nihil eſt impoſſibile credenti, *Matth.* 9. *verſ.* 23. Et ſane omnia credentibus poſſibilia ſunt; non tamen abſolutè omnia; ſed quæ fides in Chriſtum defixa patitur, & cum ea congruunt.

Nam ſi omnia abſolutè: poſſent vel nutu orbem terrarum euertere, ac producere ex animi ſententia terræ prouentus, & nouas creaturas condere, & alia multa. Sed hoc non vult Chriſtus; verum loquitur de iis omnibus quæ fidei in Chriſtum conueniunt ad ſalutem. Atque hoc modo etiam legẽ implẽt, videlicet in Chriſto, qui legis eſt impletio, & iuſtus eſt, quicumq; in eum crędit. *Rom.* 10. Nec tamen eorum perfecta ſunt opera, nec propter imperfectionẽ Deo placent; ſed placent propter Chriſtum & eiuſdem perfectionẽ, & propter iuſtitiã fide gratis homini imputatã. Quod ſic interpretatur Apoſtolus Philip. 4. verſ. 13. *Omnia poſſum in eo, qui me corroborat, Chriſto.*

Vrgent inſuper illud, quod Chriſtus diſcipulis pręceperit *eſſe perfectis, ſicut pater noſter in cælis perfectus eſt*, Mat. 5. Sed nõ de illa perfectione Dominus loquitur quę plenam operũ iuſtitiam ſecundum legis rigorem ex virib. noſtris pręſtandam flagitat; neque vlli enim illa mortalium, in hac vita eſt poſſibilis: verum de perfectione operum ſub Euangelio. Quę in eo conſiſtit, vt noſtrorum operum imperfectio Chriſti merito compleatur atq; contegatur, ex mera Dei gratia

& mi-

& miſericordia: quatenus videlicet defectus non imputatur credentibus, ſed iuſtitia ipſis propter Chriſtum, imputatur, *Rom.3.v.24. cap.3.v.6.* Sed neque Chriſtus perfectionem Deo æqualem ab hominibus poſtulat, quæ in creaturas non cadit, ac ne quidem angelis tribui poteſt cœleſtibus: verũ proponit exemplum patris cœleſtis, vt quemadmodum ille tanquam Deus abſolutè perfectus eſt; ita nos perfecti eſſe ſtudeamus iuxta modũ perfectionis, quę conueniat noſtræ naturæ & vocationi.

Nec verò, ob hanc cauſſam Chriſtus in credẽtiũ iuſtificatione, imperfecti⁹ operari putandus, quã Adam in generis humani corruptione: quantumuis iuſtificatorum & renatorum opera in ſeſe imperfectè ſint bona, & econtra non renatorum opera perfectè mala. Nam Chriſtus credentium eſt perfectio, non tantum quatenus in hac vita adhuc infirmis peccata remittit & eorum contegit imperfectionẽ; verum etiam, quatenus eos à morte reſuſcitat ſine omni labe peccati, pleniſſimè perfectos, & gloria cœleſti coronat. Iã perfectio lapſus Adami & plena poſteritatis eius totius malitia, in hac vita contigit & abſolutè perpetrata eſt: ſed credentiũ regeneratio, iuſtificatio & perfectio, in hac tatũ vita, per & propter Chriſtum inchoatur: non autẽ plenè abſoluitur ante reſurrectionem à mortuis. Quæ ob eã cauſã παλιγγενεσία vocatur, & *reſurrectio iuſtorum*, Matth.19.verſ.28.

Digitized by Google

& *Luc.*14.*v.*14. quod ea demum regenerationis in hac vita inchoatæ ſit abſoluta perfectio & complementum. Sic prorſus redemptionem Chriſtus noſtram, cruce & morte ſua, perfecit; ac nihilominus finalem eius in nobis conſummationem, in aduentu demum eius nouiſſimo præſtolamur. *Lucæ* 21. *verſ.*28. *Romanor.* 8. *verſ.*23. 1. *Cor.* 1. *verſ.*30. *Philip.*3. *verſ.*20.21. 1. *Iohan.*3. *verſ.*2.

Idem ergo de perfectione noſtra (ad quã eniti interim debemus, 2. *Tim.*3. *Hebræor.*6.) ſtatuendum eſt. Neq; enim in hac, ſed in altera demũ vita futura, erimus vt angeli Dei, *Mat.*22. *Marc.*9. *Luc.*20.

Obiiciunt porrò, Hiobum tamen ac Dauidem Legi ſatisfeciſſe. Idque etiam probant ex *Hiob. cap.*23. *verſ.*10. 11. 12. *& ex Pſal.* 119. *verſ.*11. 16. 51. Verum vterque illic de zelo & ſtudio pietatis, non de legis, in ſeipſis & ſuis operibus, impletione: ſed perfectionem Euangelii intelligunt, quam obtineant fide, per gratuitam Dei miſericordiam & remiſſionẽ peccatorũ, propter Chriſtum. Agnoſcunt interim vterq; etiam humiliter ſuam imperfectionem: vtpote *Hiob c.*42. *v.* 3. Dauid autem hoc ipſo *Pſ.* 119. *v.*36.37.39.41.58. 71.76.77.176. Huc inſuper adiungãtur *Pſalmi* 6.32.38.51. &c. Nec verò vllius vnquam ſancti hominis exemplum dari poteſt, qui gloriari in ſua perfectione potuerit: vel, cui non fuerit neceſſe, precari: ***Et remitte nobis debita noſtra.***

Au-

Auguſtinus de Spiritu & litera, cap.36. *Illud*, inquit, *eſſe conſequens video, vt quaiemlibet & quantamlibet in hac vita potuerimus definire iuſtitiã: nullus in ea ſit hominũ, qui nullum habeat omnino peccatum.* Item *Inueniant iſti, ſi poſſunt aliquem, ſub onere corruptionis huius viuentem, cui iam non habeat Deus quod ignoſcat.* Itẽ: *Talem etiã infuſo Spiritu gratiæ, vt talis eſſet, adiutum, ſanè prorſus inuenire non poſſent.*

Hieronymus in Ezechielem lib.14. *Omnis homo, vniuerſa creatura, quamuis ad perfectionẽ venerit, tamẽ indiget miſericordia Dei.*

Bernhardus in Eſaiam ſerm 15 *Noſtra, ſi qua eſt*, inquit, *humilis iuſtitia, recta forſitan, ſed non pura: niſi fortè meliores nos eſſe credimus, quam patres noſtros, qui non minus veraciter, quam humiliter aiebant: Omnes iuſtitiæ noſtræ tanquam pannus menſtruatæ mulieris.*

Faceſſat itaque hinc à Chriſtianis hominibus, Phariſaica iſta & vana perfectionis iactantia, *Lucæ* 18. *verſ.* 9.11.14. Diſcamus autem gloriari de infirmitatibus noſtris, vt habitet in nobis potentia Chriſti, 2. *Cor.* 12.

Quomodo fiant bona opera.

Cogitãdũ verò hîc, quomodo in hac naturæ corruptione, fieri bona opera poſſint; & quomodo placeant Deo cum imperfecta ſint? Ad prius quod attinet, promittit Spiritũ ſanctũ Deus credentib⁹ & inuocantib⁹ ipſum *Lucæ* 11. *Iohan.* 14.16. Is accendit fidem & pios motus in pectoribus, & fouet ini-

pſis timorem Dei ac veram pietatẽ; ſuccurrens infirmitati eorum, vt Spiritu mortificantes opera carnis, viuant. Vnde & bona opera vocantur, fructus Spiritus, *Gal.5.verſ.* 22. Sic *Matth.16. verſ.17.cap.10.v.20. Iohan. 3.verſ.5. Rom.8.verſ.1.9.10. vſque ad finem capitis. 1. Cor.15.verſ.10.cap.4.verſ.7. 2. Cor. 3. v. 5.6. Philip.2.verſ.12.13.cap.4.verſ.13.*

Deinde, ad alterum quãtum attinet, placẽt opera ex fide præſtita, quantumuis imperfecta Deo; ſed non aliter, niſi quatenus perſonæ ei placent per & propter Chriſtum recõciliatæ: & quatenus ille eis peccata remittit omnemq; cõtegit imperfectionẽ & condonat. Dum, inquam, non eos in ſeipſis, ſed in facie vnigeniti Filii Deus contemplatur, in quo ipſi benè complacitum eſt. Hunc enim credentes fide amplectuntur: & hic eſt propitiatio pro peccatis eorum, 1. *Ioh.* 2. *Rom.*8. *v.*31.32.33.34.35. Sic De⁹ benignè intuebatur Habelem & ſacrificium eius; ſed non Cainũ. Quare? Quia perſona Caini non erat cũ Deo (ſicut Habelis) reconciliata: verum impia & impœnitens, 1 *Iohan.3.verſ.12. Geneſ.4. v.5.*

Cur bona opera neceſſaria?

Quanquam verò bona credentium opera, néque iuſtitiã coram Deo, nec ſalutem, propter imperfectionẽ ſui, merentur; neceſſaria tamen ſunt propter cauſſas grauiſſimas, quas ordine recenſebimus.

PRIMA eſt, mandatum Dei, ad quod omnes homines, nedum credentes reuerẽter habendũ, obſtringuntur. Hi namq; Deũ

non

non modò vt dominum, ſed etiam vt patrẽ, inuocant, *Malach.*1.℣.6. Atq; hoc ipſum Baptiſmus exigit, *Rom.*6.℣.4.1.*Pet.*1.*v.*14.15.16. 17.18.& 2.*Cor.*6.℣.16.

Secunda eſt, gratitudo pro creationis ac redemptionis beneficio Deo debita. Qui enim benefactoris mandatum ac voluntatem contemnit, nec ei ſe attemperat, ingratus vtique eſt, 2. *Cor.* 5. *verſ.*15. Atque idem poſtulat finis electionis noſtræ, *Eph.*1.*v.*4. vide porrò 1. *Petr.*1. *verſ.*14.15. *Epheſ.*2.*verſ.* 10.*Tit.*2.*verſ.*11.1.*Petr.*12.*verſ.*24.

Tertia eſt, promiſſæ benedictionis gratuitæ ac præmiorum propoſitorum vtilitas. Nam Deus bene facit iuſtis, 1.*Tim.*4.*verſ.*8. *Gal.*6.*verſ.*9.10.16.*Actor.*5.*verſ.*32.*Marc.*10. *verſ.*29.

Quarta eſt, teſtificatio fidei & charitatis, *Matth.*5.*verſ.*16.*Luc.*6.*verſ.*36.*Galat.*5. *verſ.* 6. Item teſtificatio patientiæ, *Hebr.*10. *verſ.*36.

Quinta eſt euitatio pœnarum, quas impiè viuentibus Scriptura comminatur, *Leu.* 26.*verſ.*14. 1.*Samuel.*2.*verſ.*30. *Pſal.* 7. *verſ.* 12.13.*Pſalm.*37.*verſ.*9.& *Pſal.*50.*verſ.*21.22.

Sexta, adiici omnino debet, conſcientiæ videlicet rectitudo & tranquillitas; ne videlicet contriſtetur Spiritus ſanctus neve preces impediantur, *Eph.*4.*verſ.*30.1.*Tim.*2.*v.*8. 1.*Petr.*3.*v.*7.1.*Tim.*1.*v.*19.

Septima, ſimiliter addenda, nempe imitatio Chriſti Domini & vnici magiſtri noſtri,

vt nimirum ei nos conformes geramus; ambulantes quemadmodum ipſe ambulauit, 1.*Io*.2.℣.6.*Mat*.11.℣.29. 1.*Cor*.11.℣.1.*Epheſ*.5.℣.1.

Sunt igitur propter has & ſimiles cauſſas omnino bona opera perneceſſaria; non quidem vt meritis eorum ſalutem conſequamur, quæ donum Dei eſt per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, *Rom*.6. quiq; fruſtra mortuus eſſet, ſi noſtris, aut Legis operibus, iuſtificaremur, *Gal*.2.℣.21. Sed ideo neceſſaria ſunt, vt grati ſimus Deo, & ei obediamus; & fidem, dilectionem, patientiam Chriſtianam, teſtificemur; quinetiã euitatis pœnis, benedictionem conſequamur; adeoq; conſcientiæ perfruamur ſynceritate; ac Deum cordatius inuocemus: deniq; & Chriſti inſiſtamus veſtigiis, ei ſeruientes in vera ſanctitate & iuſtitia, cunctis diebus vitæ noſtræ, *Luc*.1.℣.74.75.

CAPVT SEXTVM.

De Sacramentis.

QVandoquidem inter notas illas è quib. Eccleſia Dei cognoſcitur, legitima quoque Sacramentorum recenſetur diſpenſatio; diſpiciendum nunc, quid ſint Sacramenta? & quis eorundem vſus?

Vox Sacramenti quid ea ſignificet? Dicuntur autem Sacramenta à *ſacrando*, quod & ſacræ ſint actiones & ſacræ rei ſigna. Latinis quidem aurib. ea vox obligationem ſonat

Digitized by Google

ſonat mutuam, iureiurando (vt in rebus bellicis fieri conſueuit) firmatam. Sed in ſacris literis, Latinus interpres eã poſuit pro Græca voce Μυστήριον, quæ ſacræ alicuius rei arcanum denotat. Et hac occaſione in Eccleſiam Sacramenti vox introducta eſt, *Epheſ.1.verſ.9.cap.3.verſ.3.cap.5.verſ.32. Coloſſ.1.verſ.27. 1.Tim.3.verſ.9.16.*

Ac bifariam ea accipitur. Aut generaliter de quauis rei ſacrę ſiue in verbis ſiue in ſignis notatione, vt in locis ante citatis. Quo ſenſu beatus Auguſtinus *Epiſtola 5. ad Marcellinum* ait: *Cum ſigna ad res diuinas pertinẽt, Sacramenta appellantur.* Aut ſumitur ſpeciatim vox Sacramenti pro ſignis atque teſtimoniis Fœderis gratiæ inter Deum & Eccleſiam. Vtpote, cum Baptiſma & Cœnam Domini Eccleſia, conſueto more, vocat *Noui Teſtamenti Sacramenta.*

Duplex Sacramenti ſignificatio.

Sunt igitur ſpeciali hac ſignificatione, Sacramenta, ſacræ actiones, ab ipſo Chriſto inſtitutæ, ad declarationem, memoriam & cõfirmationem gratiæ fœderis Noui Teſtamẽti; cunctis & ſingulis credentibus obſeruandæ & vſurpandæ. Sic de Baptiſmo *Matth.28. Marci 16. Johan.3. & cap. 6. ad Rom. verſ.3.4.5. Gal.3.verſ.27. Tit.3.verſ.5. 1. Petr. . verſ.21.* Ac de Cœna Domini *Matth. 26. Lucæ 22. Marci 14. Johan.6. per totum ferme caput, 1. Corinth.10 verſ.16.17. cap.11. verſ.23.* Ac de veteris Teſtamenti Sacramentis, quæ ſigna Fœderis in Scriptura ſancta appellãtur, vide

Quid ſint ſacramenta Eccleſiæ.

primò, quoad circumciſionem, *Geneſ.17.v.* 11.13.*Romanor.4.verſ.*11. quoad paſcha, *Exod.* 12. per totum caput & inprimis *verſ. 26.27.* Item, 1. *Corinth.5.verſ.7.* Auguſtinus nunc Sacramenta vocat *Verbum viſibile*: nunc *formam viſibilem inuiſibilis gratiæ*.

Cauſſa Sacramẽtorum. Efficiens. Hîc cauſſarum diſtincta ratio plurimum lucis toti negotio afferet. Efficiens eſt Deus ipſe: qui ſolus gratiam promittere ac præſtare, ſolus cultum ſui, præſcribere, certisq; ſignaculis externis (quemadmodum & Spiritu ſancto intus in hominum animis) confirmare & obſignare poteſt. *Materialis.* Cauſſa materialis eſt duplex:

Externum videlicet ſignum ſeu *elementum*, vt vocant: & res interna ſignata, qui eſt Chriſtus cum ſuo in cruce peracto ſacrificio, meritis & tota Euangelii gratia. *Formalis.* Formalis & ritus externi ſunt, & modus actionis præſcriptæ. Auguſtinus in *Johann. Tract.* 13. *Accedit Verbum ad elementum & fit Sacramentum.* Vbi ſtatim ſubiungit: *Non quia dicitur, ſed quia creditur.* Atque huc refertur etiam rei internæ Sacramentis obſignatæ, applicatio, quæ fide perficitur: vt nimirum faciamus quod iubet Chriſtus, & quod ipſe dicit, credamus. *Finis & vſus Sacramentorum.* Cauſſa finalis eſt declaratio, memoria & obſignatio promiſſionis Euangelii, de gratuita peccatorum remiſſione & ſalute æterna propter vnicum Chriſti in cruce peractum ſacrificium, impetranda. Ac ſunt inſuper alii fines ſubordinati. Nimirũ: obli-

Digitized by Google

obligatio ad gratitudinem erga Deum; diſtinctio Eccleſiæ ab hominibus prophanis; propagatio & conſeruatio veræ doctrinæ; item quod Sacramenta ſint nerui Eccleſiæ & publicorum cœtuũ; ac deniq; etiam vincula mutuæ charitatis & vnitatis inter credentes, 1. *Corinth.*12.*verſ.*2.13.*cap.*10.*verſ.*17.

De numero Sacramentorum.

Ad numerum porrò Sacramentorum quod attinet, generali ſignificatione vocis, tot omnino ſunt, quot in veteri & nouo Teſtamentis, rerum ſacrarum vel in verbis vel ſignis ac cęremoniis, occurrunt myſteria. Speciali autem ſignificatione & cum Eccleſia propriè loquendo; nõ niſi duo fuêre in veteri Teſtamento, *circumciſio* videlicet ac *paſcha*. Nec plura nunc ſunt in Teſtamento N. nempe *Baptiſmus* & *Cœna Domini*.

De ſeptem Sacramentis pontificiis.

Quod verò Põtificii numerẽt Sacramẽta ſeptem, id neque antiquum eſt, nec ſolidum, ſed cum ceteris papatus erroribus & ſuperſtitionibus nuper inuentum atque introductum. Neglecto enim generalis & ſpecialis ſignificationis diſcrimine, Baptiſmo ac Cœnæ, aſſuere conati ſunt iſti, *Pœnitentiam, ordinationem, confirmationem, coniugium* & *extremam* (quam vocant) *vnctionem*. Id quod conſiſtere nequit: hiſce potiſſimum duabus de cauſſis.

Primò, quia generali vocis notatione, Sacramenta forent longè plura: vtpote, *oratio, manuum impoſitio, diſciplina Eccleſiaſtica, eleemoſyna* & ſimilia: quę vniuerſa ſunt myſti-

ca,& externas habent actiones vel cæremonias,cum pręcepto ſeu mandato Dei ac promiſſione.

Secundò, neq; ſpecialis & propria Sacramentorum definitio iis rebus conuenit, quę præter Baptiſma & Cœnam, pro Sacramentis in papatu venditantur. Aut enim deſideratur in actione elementũ, quod eſſe debet rei ſacræ ſignum & ſigillum in oculos incurrens: Aut eſt res non propriè ad id inſtituta, vt ſit declaratio, memoria & obſignatio promiſſionum Euangelii: Aut non eſt à Chriſto ſic inſtituta, vt ſit N. Teſtam. ꝓpria: Aut deniq; non eſt Eccleſię totius cõmunis, verum duntaxat reſtricta ad certã aliquã vocationẽ, vt ordinatio & matrimoniũ. Nã *Sacramẽtũ* propriè dicitur, vel teſte Lombardo, *quod ita ſignum eſt gratiæ Dei & inuiſibilis gratiæ forma viſibilis, vt ipſius imaginem gerat, & cauſſa* (formalis vtique) *exiſtat*.

Diſcrimen Sacramentorum V. & N. Teſtamenti.

Etſi verò Sacramenta V. ac N. Teſtamẽti, numero ſunt paria ac myſterio; attamen differunt inter ſeſe partim cęremoniarũ diuerſitate, partim tẽporis, h.e. rei vel futurę vel ꝓſtitæ & factæ, ratione. Vtrobiq; in V. inquã, & N. Teſtamento, eadem eſt fides, eadem Euangelii gratia, idem Chriſtus: At veteris Teſtamenti Sacramenta, de Chriſto in carne venturo promiſſiones obſignabant: noui autem Teſtamenti Sacramenta, iam tum in carne eum veniſſe, & redemptionis humanæ opus perfeciſſe, teſtificantur. Deinde, & rituum

rituum diuerſitas, vtrobique eſt manifeſta. Sic Auguſtinus in Numeros quæſt. 33. *Procul dubio eſt magna diſtinctio iſta. Et recte intelligitur duo teſtamenta diſtinguere: Eadem quippe ſunt in veteri & nouo. Ibi obumbrata, hic reuelata. Ibi præfigurata; hic manifeſtata.* Et Tract. in Iohan. 26. *Inſignis diuerſis eadem fides.* Vide inſuper 1. *Corinth.* 10. ℣. 1. 2. 3. 4. *Roman.* 4. v. 1.

Diſcrimen Sacramentorum & Sacrificioru͂.

Differunt etiam inter ſe Sacramenta & ſacrificia: Illa ſunt diuinæ erga nos gratiæ teſtimonia; hæc autem noſtræ viciſſim obedientiæ & erga Deum gratitudinis argume͂ta. Quod obiter & breuiſſime indicaſſe ſufficiat.

Phraſes ſacramentales.

De Phraſibus verò Sacramentalib. grauior eſt quæſtio. Illæ namq; aut ſunt propriæ aut figuratæ.

Locutio propria.

Propriæ ſunt, cum ſigna accipientes, rem ipſam (ſed in vſu legitimo) accipere dicuntur. Vt Marci 16. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit: Qui verò non crediderit, co͂demnabitur.* Aut cum ſigna externa rem internam ſignificare, perhibentur. Vt, *Circumciſio fuit Abrahæ ſignaculum iuſtitiæ fidei*, Rom. 4. & 1. Cor. 5. *Paſcha noſtrum pro nobis immolatus eſt, Chriſtus.*

Locutio figurata.

Figuratæ autem ſunt, quando nomen, aut proprietas, aut effectus rei ſignatæ, externo ſigno tribuitur. Vt, *Agnus eſt paſcha. Circumciſio eſt fœdus.* Item, *Circumcidite corda veſtra.* Item, *Baptiſmus eſt lauacrum rege-*

nerationis & inuocatio Spiritus ſancti : Sic de pane & poculo Cœnæ: *Hoc eſt corpus meum, Hoc eſt ſanguis meus.* Item, *panis quem frangimus, nonne eſt communio corporis Chriſti: Poculum gratiarum actionis quo gratias agimus, nonne eſt communio ſanguinis Chriſti.* Item: *Petra erat Chriſtus.* Ac ſimilis eſt ratio, quoties viciſſim ſigni externi nomen, proprietas & effectus, rei ſignatæ tribuitur. Vt Iohann. 6. *Panis quem ego do, eſt caro mea.* Actor. 22. *Surge, baptizare & ablue peccata tua*, &c.

Fundamentum & ratio phraſεων ſacramentaliũ. Conſideranda autem hìc eſt cauſa & fundamentum harum phraſεων. Quæ eſt ipſa Sacramentalis vnio. Quam ſic definit beatus Cyprianus, quod non ſit coniunctio vel commixtio ſubſtantialis, ſed mutua inter ſignum & rem ſignatam relatio. Verba eius hęc ſunt in Serm. de Cœna: *Panis iſte communis, in carnem & ſanguinem mutatus, procurat vitam & incrementum corporibus: ideoque ex conſueto rerum effectu, fidei noſtræ adiuta infirmitas, ſenſibili argumento, edocta eſt, viſibilibus Sacramentis ineſſe, vitæ æternæ effectum, & non tam corporali quàm ſpirituali tranſitione Chriſto nos vniri.* Et mox: *Non*, inquit, *vſq; ad conſubſtantialitatē Chriſti, ſed vſq; ad ſocietatem germaniſſimam eius, hac vnitas perueniſſet.* Item: *Noſtra verò & ipſius coniunctio, nec miſcet perſonas, nec vnit ſubſtantias, ſed affectus conſociat & confœderat voluntates.*

D E

DE BAPTISMO.

BAptiſmus, voce Græca, ab externo merſionis in aquam, ritu, ſic dicitur. Et, vt omittamus veteris Teſtamenti lauacra, triplicem Baptiſmi vox in nouo Teſtamento ſignificationem admittit. Vnde & *Baptiſmatũ* in plurali numero fit mentio, *Hebr.6.* Non quod plures Baptiſmi ſint, ſed ꝙ res diuerſæ in vnum incidentes Baptiſmum, hac ratione diſtinguantur. Nam vnus alioqui Baptiſmus eſt, *Epheſ.4.* Et Symbolum Nicęnum ſic habet: *Confiteor vnum Baptiſma in remiſſionem peccatorum.* Hæ diſtinctę ſignificationes vulgò explicãtur per *Baptiſmum fluminis, Flaminis & Sanguinis* vel *ignis.* Vide Origenem in *Johan. hom.8.* Et Petrum Lombardum *lib.4. diſt.4.* *Vox Baptiſmi.*

Baptiſmus verò *fluminis* nihil aliud eſt, quàm externa illa merſionis in aquã à Chriſto inſtituta cęremonia: quatenus videlicet miniſter Baptiſmum adminiſtrare & conferre poteſt, *Luc.3. verſ.16. Johan.1. verſ.26.* Atque hoc ipſum vult Lombardus, quando ait: *Quoſdam ſuſcipere Sacramentum Baptiſmi, ſed non rem.* Item: *Alios aſſumptione Sacramenti, alios rei perceptione, Chriſtum induere,* libr.4. diſt.4. Sic Baptiſmum Fluminis percepit ſine regeneratione Simon Magus, *Act.8.* Qui crediediſſe quidem dicitur; ſed rei comprobauit exitus, fidem eius non fuiſſe *Baptiſmus fluminis.*

viuam & veram, ſed duntaxat temporariam, *Luc.*8.℣.13.

Baptiſmus Flaminis.

Flaminis porrò *Baptiſmus* duo denotat: *Primò*, rem internam in Baptiſmo promiſſam, quæ à Spiritu S. perficitur; h.e. ipſam regenerationem, inhabitationem & mãſionẽ, operationesq; ſeu ſanctificationem Spiritus S. in baptizatis fidelibus, *Tit.*3.v.5. 1.*Cor.*12. v.12.13. *Joh.*13.v.5. *Mat.*3.v.11. *Joh.* 1.v.33.*cap.*3. v.3.&c. *Coloſſ.*2.*verſ.*12. Atque hoc ſenſu iterum orthodoxè affirmat Lombardus, *quoſdam accipere rem Baptiſmi, non Sacramentum*, videlicet externi ritus ſeu Fluminis. Id quod probat idem ille exemplo latronis in cruce. Item, ex dicto Romanor. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam*, &c. *Secundò*, denotat Baptiſmus Flaminis peculiaria quædam Spiritus ſancti dona: qualia tempore Apoſtolorum credentib. aliquammulta, miraculosè conferebantur. Idq; vel circa & ante Baptiſmum, vt in domo Cornelii, *Act.*10.*v.*44. vel poſt Baptiſma, per preces & manuũ impoſitionem, *Act.*8.v.7.*c.*19.v.5.

Baptiſmus ſanguinis & ignis.

Baptiſmus deniq; *ſanguinis* & *ignis*, denotat in credentib. tam nõ baptizatis q̃ baptizatis, ſanctum illud martyriũ, ꝙ ſanguine ac morte ſua veritatẽ illi Euangelicã profiteantur, *Mat.*20.20.23. *Marci* 10.20. Idcirco Lõbard. dicit, *paſſione etiam impleri Sacramẽtũ Baptiſmi.* Et Euſeb. de Rhaide virgine Euangelii cauſa, ante perceptum Baptiſmum crematа, ſcribit, quod igne baptizata fuerit.

Eſt

Eſt autem *Baptiſmus*, externum aquæ lauacrum, in nomine ſeu ex mandato & cum promiſſione, fide, publicaq; ꝓfeſſione Dei Patris, & Filii & Spiritus S. à Chriſto inſtitutũ; quo reſipiſcentes & credentes edocẽtur atq; certiores reddũtur, ſe vnici ſacrificii Ieſu Chriſti in cruce peracti, eſſe participes, ac proinde ſanguine illius à ſordib. peccati ablutos, ſpiritu eius ſanctificari, adeoq; filios & hęredes Dei, & Chriſti cohęredes, eſſe, per regeneratione͂: Et quo viciſſim illi ſtipulantur iurantq; ſe Deo Patri, Filio, & Spiritu S. obſequiũ in fidei ac vitæ puritate, p̃ſtaturos & ope ipſius ad finem vſq; contra diaboli & mũdi ac propriæ carnis, omniſq; generis te͂tationes, quinetiã in perſecutionib. & cruce mediaq; morte conſtanter perſeueraturos, *Mat*. 28. v. 19. *c*. 3. v. 11. *Marc*. 1. v. 2. 4. *Luc*. 3. v. 3. *Act*. 2. v. 38. *c*. 22. v. 16. *Rõ*. 6. v. 3. 4. *Col*. 2. v. 12. 1 *Cor*. 6. v. 11. 12. 13. 1. *Pet*. 1. v. 2. *Tit*. 3. v. 5. 1. *Pet*. 3. v. 21. 1. *Joh*. 1. v. 7. *Heb*. 12. v. 21. *Quid Baptiſmus?*

Hoc totum verò myſterium, vnico υἱοθεσίας ſiue regenerationis beneficio compręhenditur; Adoptatis. n. in filios Dei & renatis ingreſſus in regnum cęlorum promittitur. Et Chriſtus ipſe rem ſic interpretatur *Ioh*. 3. *vſ*. 3. 5. *vſq; ad c*. 1. *v*. 12. 13. Vnde Paulus *Baptiſmũ* vocat, *lauacrum regenerationis & innouationem Spiritus ſancti*, Tit. 3. verſ. 5. Vide porrò *Romanor*. 8 *verſ*. 12. *vſque ad* 18. *Epheſ*. 4. *verſ*. 20. *ad vſque* 24. *Myſterium Baptiſmi.*

Conſiſtit aute͂ illa ſiue adoptio ſiue rege- ...o ſiue re...

Digitized by Google

neratio tribus hiſce in rebus, nempe: Iuſtificatione, ſanctificatione & glorificatione.
Iuſtificatio. *Iuſtificatio* continet in ſe, agnitionem ac deplorationem peccatorum ac totius humanę naturæ deprauationis: *deinde*, reconciliationem cum Deo per fidem Ieſu Chriſti, & remiſſionem peccatorum, iuſtitiam coram Deo, cum tota reſipiſcentia & conuerſione ad Deum per fidem in Ieſum Chriſtum & nouam obœdientiam.

Sanctificatio. *Sanctificatio* denotat primùm, inhabitationem, illuminationem & operationes atque dona, item æternam manſionem Spiritus ſancti in electis & credentibus: quę vniuerſa eis Baptiſmo obſignãtur, *Tit.3.v.5. Actor.2.*℣*.38.Jo.14.verſ.16.17. 1.Joh.2.verſ.*20. 27 *cap.3.verſ.9.* *Deinde* ſignificat gratiam inuocationis Dei & precum exauditionem, cum gratiarum actione, *Rom. 8. verſ.* 26.27. Tum & nouam obœdientiam, vitæque emendationem & ſanctitatem in tota conuerſatione, *Roman.6.*℣*.4.5.6.* 1. *Cor. 6.*℣*.* 19. 20. *Coloſſ.2.*℣*.11.12.* &c. Præterea complectitur etiã hęc ſanctificatio obſignationem τ̃ υἱοθεσίας cum hęreditate cæleſti, *Epheſ.* 4.℣*ſ.* 30.2.*Corinth.1.*℣*ſ.21.22.Romanor.*8.℣*ſ.*16.17. 38.39. Ac *poſtremò*, profeſſionem Chriſtianiſmi, nec non indiſſolubilem cum Eccleſia & eiuſdem capite Chriſto, ſocietatem, communionem, adeoque perpetuam in vera fide ac pietate, perſeuerantiam, *Rom.8.*℣*.35.c.* 10.℣.10. 1.*Cor.6.*℣*.15.17.c.12.*℣*.13.27.Eph.4.*℣*.* 3.4.5.6.

Glori-

Glorificatio denique ſignificat reſuſcitationem à mortuis & plenam credentium integritatem, tàm quoad corpus quàm quoad animam, vnde & reſurrectio, [1] *palingeneſia*, vocatur; itemq; promiſſa bona cæleſtia cum perfecta fruitione, requie & gloria vitæ ac beatitatis æternæ, *Johann*.17.℣.24. 1.*Corinth*. 2.℣.7.8.9.10.*Phil*.3.℣.21. 2.*Cor*.5.v.1.2.3.4.5. 1.*Johan*.3.v.12. *Apocal*.7.v.14.15.16.17.*cap*.21. v.22.23.24.

Glorificatio.

1 *Matth*.19. ℣.28.

Neque verò aliter ſentiendum de Baptiſmo Iohannis, qui vnus & idem fuit cum eo quem Chriſtus adminiſtrandum cæteris diſcipulis ſuis mandauit. Id quod ſequentes euincunt rationes. *Primò* enim non niſi vnus eſt noui Teſtamenti Baptiſmus: atqui Iohannis certè Baptiſmus noui erat Teſtamenti. *Deinde*, eundem è cælo fuiſſe, non obſcurè Chriſtus oſtendit, *Matth*.21.v.25. *Tertiò*, eadem vtrinque eſt myſterii ratio: ſicuti patet *Matth*.3.v.11.*Luc*.3.v.3. *Quartò*, Chriſtus ipſe ab Iohanne baptizari voluit, neque poſtea baptiſmum iterauit vel mutauit: quo ipſo eundem noui Teſtamenti ab ſe inſtitutum & ſanctificatum, teſtificatus eſt, & per illum ſeſe cæteris baptizatis in fœdere gratiæ coniunxit & aſſociauit, tanquam caput cum corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, 1. *Corinth*.12.

De Baptiſmo Iohannis.

1, 2, 3, 4.

Hîc tria adhuc penſitanda veniunt. Vnũ, de Baptiſmi iteratione; alterum, de pædobaptiſmate; tertium, de exorciſmo.

Digitized by Google

An Baptiſmus iterandus? Ad primum, quod attinet, nullo modo baptiſma iterandum ſtatuimus: Idq; tribus potiſſimum de cauſſis:

Primò, quia Christus Dominus nec ipſe Baptiſmum ab Iohāne acceptum, iterauit; nec ſæpius vſurpādum (vt ſacram tamen Cœnā) præcepit. *Secundò*, quia Baptiſmus regenerationis & initiationis eſt Sacramentū, quæ ſemel tantum fit, non ſæpius. Auguſtinus in Iohann. cap. 3. *Regeneratio ſpiritualis vna eſt, ſicut generatio carnalis vna. Tertiò* quia neque circumciſio, cuius in locum Baptiſma ſucceſſit, repetita fuit.

De Baptiſmo infantum argumenta ſex. Alterum eſt de pædobaptiſmate, quem omnino approbamus: idq; hiſce de cauſſis:

Prima. Quicunq; ad fœdus diuinę pertinent, & membra ſunt Eccleſiæ; ii per Baptiſmum Eccleſię coniungi debent & inſeri. Siquidem ille ſignum ac teſtimonium fœderis eſt, & ſacramentum initiationis, *Romanor.* 4 *verſ.* 11. *Galat.* 3. *verſ.* 27. Infantes autem fidelium (loquimur enim de Eccleſia; non de iis qui ſunt foris) ad gratiæ diuinæ fœdus pertinent & membra ſunt Eccleſię, *Gen.* 17. *verſ.* 7. *Matth.* 18. *verſ.* 6. *Marc.* 10. *verſ.* 14. *Act.* 2. *v.* 39. 1. *Cor.* 7. *v.* 14. *Rom.* 11. *v.* 16. Infantes ergo fidelium Eccleſię per Baptiſmum coniungi debent & inſeri.

Secunda. Quibus res ipſa tribuitur Sacramenti, illis externum rei Sacramentum non eſt denegandum. Et valet conſequentia à

maiori

Digitized by Google

maiori ad minus. Atqui res ipſa Baptiſmi externi (i.e. gratia diuina) remiſſio peccatorũ & Spiritus ſanctus, fidelium tribuitur infantibus, *Gen.*12.v.7.& 11. *Marc.*10.v.14. *Act.*2. v.38.39. Quocirca neq; externus aquę Baptiſmus illis eſt denegandus.

Tertia. Si Circumciſio, tanquam ſacramẽtum initiationis, in veteri Teſtamento, infantib. fidelium fuit deſtinata; multò igitur magis Baptiſmus, in nouo Teſtamento. Ratio cõſecutionis hæc eſt, quod Chriſtus gratiam ſuam auxerit (non minuerit) in N. Teſt. & quod in locum circumciſionis Baptiſma ſucceſſerit, *Col.*2.v.11.12. Ac deniquequod de ſimilibus idem ſit iudicium.

Quarta. Chriſtus iubet baptizari omnes gentes, *Mat.*28 v.19. Inter illas autem & infantes computandi ſunt. Ergo ex mandato ipſius Chriſti, baptizãdi. Siquis excipiat, etiam omnes gentes docendas Chriſtum pręcipere, ergo & infantes: ne id quidem negatur, quoad ętas illorum doctrinę eſt idonea. Id ergo mandatũ Chriſti infantibus pręſtandum, quod per ętatem fieri poteſt.

Quinta. Legimus *Act.*16 v.33. item, 1. *Corinth.*1. v.16. totas domos & familias à Paulo & Sila baptizatas eſſe. Atqui domus & familię complectuntur etiam infantes, *Geneſ.*17. *verſ.*13. *capite* 30. *verſ.* 20. 1. *Timoth.*3. *v.*12. Nec legũtur vnquã excluſi fuiſſe à Baptiſmo infantes. Itaq; ex ipſis Actis Apoſtolicis manifeſtũ eſt, infantes eſſe baptizãdos.

Digitized by Google

Quò pertinet, quod Baptiſmus patrum in nube & mare rubro, noſtrũ Baptiſma pręfigurârit, 1. *Cor.* 10. 1. 2. nec illi tamẽ abiecerint infantes. Quando igitur omnes in nube & mari baptizatos fuiſſe, Apoſtolus ait; ſimul etiam infantes complectitur.

Sexta, Teſtantur deniq; vetuſtiſſimi quique Patres ac primitiuæ Eccleſiæ doctores tàm Græci quàm Latini, Pædobaptiſmum inde ab Apoſtolorum temporibus in Eccleſia ſemper fuiſſe receptum & vſitatum. Origenes *in Leuit. cap.* 12. *Homil.* 8. Cyprianus *libr.* 3. *Epiſtola* 8. *ad Fidum.* Et contra Iudęos *libr.* 1. *cap.* 8. Hieronymus *in Epiſtola ad Latam.* Epiphanius *de Hæreſ. lib.* 1. *Hæreſ.* 8. Cyrillus *in Leuiticum libr.* 8. Auguſtinus *contra Donatiſtas libr.* 4. *cap.* 22. 23. affirmat, Baptiſmum paruulorum, neque per ſynodos, nec humano aliquo inſtituto, introductum; ſed ab Apoſtolis acceptum, in tota Eccleſię vniuerſitate, obſeruari.

Obiectiones contra pædobaptiſmũ diluuntur.

1. Contra obiicitur: Nuſquam in ſacris literis expreſsè pædobaptiſmum præcipi. Sed, nuſquam etiam in ſacris literis ille prohibetur; præterquam quod inter omnes gentes etiam infantes compræhendi, iam ante dictum ſit, ac circumciſos fuiſſe infantes, conſtet, cui Circumciſioni Baptiſma ſucceſſit. *Deinde*, inefficax iſta obiectio vel ex eo intelligitur, quod neq; de mulierib. vel baptizãdis vel ad Cœnam Domini admittendis, expreſsè quicquam præcipiatur: nec ideo tamen

men illæ arceantur aut excludantur.

At Chriſtus ait, inquiunt: *Qui crediderit & baptizatus fuerit.* Item Philippus Apoſto- 2.
lus ab Eunucho antequam eum baptizaret, fidem prius exegit. Infantes autem non credunt; quia fides ex auditu eſt: Ergo neque baptizandi.

Negatur aſſumptio. Quamquam enim in paruulis fides quidẽ ex auditu nõ eſt, vt in adultis; ſemen tamen fidei per gratiam Spiritus ſancti, non minus in ipſis pro fide habẽdum, q̃ ſemen rationis in iiſdẽ, ꝓ ratione, accipitur: vt creaturæ rationales agnoſcantur. Præterea Scriptura fidem infantibus diſertè & expreſsè aſſignat, *Pſalm.* 22. ℣. 10. *Act.* 2. ℣. 38. 39. *Mat.* 18. ℣. 6. Quò pertinet exemplum Baptiſtæ ad Chriſti præſentiam in vtero materno exultantis, *Luc.* 1. Quod ſupereſt, fidei profeſſio ab adultis meritò exigitur circa Baptiſmum: at ab infantibus non magis in Baptiſmo, quàm olim in circumciſione.

Aiunt: Baptiſmum eſſe ſignum fœderis 3.
& Sacramentum reſipiſcentiæ ac regenerationis: Ergo intellectum & paciſcendi voluntatem atque facultatem poſtulare. Qua in parte cum nihil præſtent infantes; nec baptizandos eſſe. Reſpondetur: idem prorſus de infantum Circumciſione obiici potuiſſe; nec tamen eam impediuiſſe: ergo neque baptiſmo infantum, eſſe obſtaculo.

Inſtant, doctrinam Baptiſmo præmitti, 4.
Chriſto dicente: *Docete omnes gentes bapti-*

Digitized by Google

zantes eos, &c. Quia verò infantes doctrinæ capaces non ſunt, neq; baptizandos eſſe. Verum docendi mandatum, non minus baptiſmo ſubiungitur q̃ præmiſſum ſit, iterum dicente Domino: *docentes eos ſeruare, quæcunq; præcepi vobis*. Tàm ergo commodè poſt Baptiſmum infantes, quàm ante illum adulti, vtrinq; iuxta Chriſti mãdatũ, doceri poſſunt.

5. Addunt: Fœdus pertinere ad ſemẽ Abrahæ, i. electos, *Rõ.* 9. ℣. 6. 7. 8. *Gal.* 3. ℣. 7. Ignorari aũt an electi ſint infantes, adeoq; verum ſemẽ Abrahę. Proinde nõ baptizãdos. Atqui potuit idem deſiderari in circumcidendis infantib. V. Teſtamenti, ſi ratio fuiſſet ſufficiens; qui cum nihilominus circumciſi ſint: neq; infantibus N. Teſtamenti hæc ratio Baptiſmum eripere poteſt.

6. Obiicitur deniq; & hoc: Si propter fœdus gratię, in quo infantes compręhendantur, baptizandi illi ſint; eâdẽ effici ratione, quod ſint etiam ad Cœnã Domini adhibendi. Sed alia eſt ratio cœnę: quę hoc, pręter cõmune fœdus gratię, peculiare habet, vt nemo eam vſurpare poſſit, quin probet prius ſeipſum, 1. *Cor.* 11. ac celebret Chriſti Domini memoriam: quod non cadit in ipſos infantes. Deinde, Cœna non eſt (vt Baptiſmus) initiationis pro infantibus, verum confirmationis Sacramentum pro adultis.

De Baptiſmo in caſu neceſſitatis.

Dicendum hîc obiter de *Baptiſmo* (quem vocant) *in caſu neceſſitatis*. Teſtatur Paulus 1. *Cor.* 15. 29. quoſdã apud Corinthios, pro mortuis

tuis baptizatos fuiſſe, propter ſpem reſurre-ctionis. Idquod de Clinicis olim ſic dictis, accipimus: qui fidem Chriſtianam quidem amplexi, nec dum verò baptizati, ſi in morbos inciderent ac mortis horam vel inſtare putarent vel ſentirẽt, maioris conſolationis ergò, iã in lecto decumbentes expetebãt & ſuſcipiebant. Sed illi adulti erãt omnes; nec tã neceſſitatẽ prætexebant, q̃ cũ Eccleſia manifeſtã coniunctionẽ: cũ ante ex iis fuiſſent, qui erãt extra cœtũ Eccleſiæ, non in fœdere, (vt fideliũ infantes) contẽti. *Deinde* in Papatu cœptum eſt etiã, infantes vel moribũdos, vel in partu difficili aut ſtatim pòſt, baptizari: idq; per obſtetrices aut alias mulieres prę-ſentes, propter neceſſitatis opinionẽ. Verũ vtrinq; curioſitas humana neſcio quid neceſſitatis cõfinxit; quaſi verò ſalus ad Sacramẽtorũ externas eſſet alligata ceremonias; nec extra illarum perceptionẽ, fœdus gratię valeret. Qua in parte vehementer erratum fuit. Nam Petrus Lomb. quamvis & ipſe Põtificius, diſertè fatetur *Sẽt. lib. 4. d. 3.* neq; baptiſmum neq; circumciſionẽ regni aditum nobis pateſeciſſe, ſed hoſtiã Saluatoris. Additq;: *Res igitur huius Sacramenti* (Baptiſmi vid.) *iuſtificatio eſt.* Itẽ, ſubiicit nouũ paragraphum, quo ꝓbat, *quoſdã percipere Sacramẽtũ, & nõ re: quoſdã re, & nõ Sacramentum: quoſdam Sacramentũ & rem ſimul.* Quod omne verbis Auguſtini & Ambroſii fuſè explicat & confirmat. Citat etiã illud Auguſt.

Sacramenta in ſolis electis efficiunt quod figurant. Item, *Quicunque non percepto regenerationis lauacro per confeſſionem Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum ſi abluerentur ſacro fonte Baptiſmi.* Idem porrò etiam probat verbis beati Cypriani, dicentis libr. 4. *Etiam atque etiam conſiderans inuenio non tantum paſſionem pro nomine Christi, id, quod Baptiſmo deerat, poſſe ſupplere: ſed etiam fidem, confeſſionemque cordis, ſi fortè ad celebrandum myſterium Baptiſmi, in anguſtiis temporum, ſuccurri non poteſt. Neque enim latro, pro nomine Christi crucifixus eſt, ſed pro meritis facinorum ſuorum: nec quia credidit, paſſus eſt, ſed dum patitur, credit. Quantum ergo valeat Baptiſmus, ſine etiam viſibili ſacramento* (quod ait Apoſtolus: *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*) *in illo latrone declaratum eſt. Sed tunc* (addit) *impletur inuiſibiliter, cum myſterium Baptiſmi, non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis, excludit.* Citat denique Auguſtini ſuper Leuiticum, illa: *Inuiſibilis ſanctificatio quibuſdam affuit & profuit, ſine viſibilibus Sacramentis. Viſibilis verò ſanctificatio, quæ fit ſacramento viſibili, ſine inuiſibili poteſt adeſſe, non prodeſſe.*

De Baptiſmo mulierum.

Quantum porrò ad mulieres attinet, in caſu (vt loquutur) neceſſitatis, baptizantes; iam olim mos iſte repræhenſus eſt & prohibitus. Non ſolum ab Epiphanio, qui inter hæreſes eum connumerat, ſed etiam in Cócilio

cilio Carthaginenſi. *Deinde* miniſteriũ Eccleſiaſticum à ſexu fęmineo remouetur, 1. *Corinth*.14. *Tum* eo minus conſuetudo iſta tolerabilis eſt, quò grauioribus anſam præbet erroribus. Nempe, quod Baptiſmus ex opere ſaluet operato; quod ſalus ad externam ſit alligata cæremoniam; quod ſine illa, fœdus gratiæ nil proſit infantibus fidelium; quodq; tàm priuatio, quàm contemtus Sacramentorum, damnet. Quæ merè ſunt erronea cuncta.

Nunc aliquid inſuper attingemus de patrimis ſeu compatribus & ſuſceptoribus in Baptiſmo. Quæ res neque ad ſubſtantiam nec ad neceſſitatem Baptiſmi, pertinet; quẽadmodum neque à Chriſto aut Apoſtolis eſt inſtituta. Tribuitur autẽ Hygino VIII. Pontifici Roman. & refertur ad annum Domini 141. Credibile autem eſt, ideo inuentum hoc fuiſſe veluti remedium ſcandali publici: quod multi ex Iudaiſmo ac Gentilitate ad fidem accedentes, poſt acceptum Baptiſma, iterum defecerint, & fidem abnegantes Chriſtianam, & eandem falſis criminationibus atque ludibriis dehoneſtantes. Vti patet in Luciano & Imp. Iuliano, apoſtatis. Quia verò adhuc aliquis eius rei in Eccleſia vſus eſt, vt ſaltem rectius curetur erudiri Chriſtiana iuuentus; poteſt tanquam ἀδιάφορος abſq; ſuperſtitione vel retineri, vel abrogari, pro Chriſtiana libertate. *De ſuſceptoribus.*

Reſtat *exorciſmus*, & quo is loco ſit habẽ- *De exorciſmo.*

De exorciſmo.

dus? Sed nihil iſte eſt aliud, quàm mera traditio humana, cum oleo & ſale conſecratis & ſaliua & ſimilib. næniis Pontificiis, eiuſdem planè farinę: niſi quod plus impię & magicę contineat ſuperſtitionis.

Quomodo cœperit exorciſmus?

Et quamquam, quo tẽpore & qua occaſione in Eccleſiam irrepſerit, non ſatis cõſtat: conſtat autem de baptizãdorum exorciſmo & eiuratione, neque pręceptum neq; exemplum, in tota ſacra Scriptura, inueniri: meminerunt exorciſmi tamẽ circa baptiſmum vſurpati, Cyprianus in *Epiſtola ad Quirinũ*, & Auguſtinus *de dogmatibus Eccleſiaſticis, cap.*31 item, *de Fide & Symbolo, libr.*14. citante etiam Gratiano in *I.C. diſtinct* 4. *Can. Si ne paruuli*, & *Titulo: Quare paruuli exorcizentur.* Item, *Auguſtinus de peccato originis, cõtra Pelagium & Celeſtium cap.* 40. & *Enchir. ad Laur. cap.* 31. *Ac de pecc. mer. & remiſſ. libr.*1 *cap.* 14. *De Fide & operibus cap.*6. *Chryſoſtomus de Adam & Heva homilia.* Idem videntur innuere Nazianzenus *oratione* 1. & 2. *de ſancto lauacro:* & Optatus Mileuitanus Epiſcopus *lib.*8. *contra Parmenianũ. Ephrem, de Pœnitentia cap.* 5. Et ante hos *Ambroſius libr.* 1. *de Sacramentis, capite* 1. & 2. Vtut verò ſit, res ipſa docet ac rationes euincunt ab illis patribus adductę, partim ſuperſtitioſos errores, partim κακοζηλίαν huic inſtituto dediſſe occaſionem.

Et quidem errores fuêre aliquammulti.

Primò, quòd infantes fidelium, propter pecca-

peccatum originale, nõ minus eſſent in poteſtate diaboli, quàm energumeni à cacodęmonibus obſeſſi; cũ econtrà tamen Chriſtus affirmet, *eorum eſſe regnum cœlorum*. *Errores circa exorciſmũ.*

Deinde, quod Baptiſma ſeu fœdus ipſum gratię, non ſatis efficax eſſet, ſine exorciſmo, ad eximendum homines poteſtate Diaboli.

Tertio, quod diabolus & eius poteſtas, abigatur humanis cęremoniis & vocibus abſq; verbo & ordinatione Dei: cum tamen ſolus Chriſtus deſtruat opera diaboli, 1. *Io*.3. *Mat*. 8.ỷ.16.*c*.12.ỷ.28.

Quartò, quod vel nõ baptizati, omnes, vel ſine exorciſmo baptizati, in Satanę poteſtate relinquantur. Et quid ſtatuendum de iis, quos, abſque vllo exorciſmo, baptizârunt Iohannes & Apoſtoli?

Cæterum, de κακοζηλίᾳ quod diximus, ita ſeſe habet. Quia donum eiiciendi dæmonia, primitiuæ Eccleſiæ conceſſum fuit, non crucibus tamen & eiurationibus, verum in nomine Ieſu Chriſti, precibus ad Deũ habitis & ieiunio, exercendum: imitari illud poſtea (ſed incaſſum) tali dono deſtituti, voluerunt. Sic vana dementati perſuaſione, putârunt, non eſſe aliã eripiendi quempiã è poteſtate Satanę rationẽ, niſi id fiat p exorciſmos: Nihilo ſeciꝰ, quã & extremã retinẽt vnctionem Pontificii, ſine vllo ſanationis dono. Huc inſuper acceſſit, quod ſolerent ἐνεργουμένους & obſeſſos, ex Gẽtilitate, curãdos offerre Chriſtianis: quod illi precib. & inuocatione nominis Ieſu, ꝓ ſingulari dono ſibi *Κακοζηλία circa exorciſmum.*

tunc conceſſo, perficiebãt. Vide *Euſebium libr.5.cap.7*. Hinc poſtea & exorciſmos ſiniſtra ac deprauata precum imitatione iſti fabricârunt. Et quia curati gentiles, Chriſtianam fidem ac baptiſmum ſuſcipiebant, vt gratos erga Deum ſeſe declararent: inualuit conſuetudo exorciſmorum ad Baptiſma: ac poſteris temporibus, exorciſmo baptizãdis opus eſſe, vulgò creditum eſt.

Rationes quare exorciſmus ſit abolendus.

Cur autem exterminandus à Baptiſmo ſit exorciſmus, rationes haſce ponimus:

Primam, quod nuſquam ille ſit in Scripturis fundatus; nec Dei mandatum, neq; Spiritus ſancti & diuini vel auxilii vel benedictionis, promiſſionem habens.

Alterã, quod fruſtra colatur Deus doctrinis hominum, *Matth.15*.

Tertiam, quod Baptiſmus ex inſtitutione Chriſti & per gratiam virtutemque Spiritus ſancti, ſufficiens fœderis noui ſit Sacramentum, ſatisque ad diſſoluendam ac diſſipandam Satanæ poteſtatem, efficax.

Quartam, quod nec in Circumciſione (cui tamen ſucceſſit Baptiſmus) exorciſmi vſus vnquam fuerit.

Quintam, quod ocioſa & ludicra ſit exorciſmi cæremonia, quinetiam inſignis temeritas, absq; vocatione ac dono, eiicere dæmonia conari, & quidem à non obſeſſis.

Sextò, quod ceremoniæ humanæ, cum primũ opinio cultus & neceſſitatis acceſſerit, nõ amplius res mediæ ſint, ſed protinus abrogandæ.

Contrà

Contrà verò obiicitur: Exorciſmum ideo ſaltem retinendum, vt ſit peccati originalis teſtimonium, contra Pelagianos. At medicina morbo iſto foret nocentior, propter errores, iam ante notatos. Itaque verbi diuini hac de re teſtimonia ſufficiunt. Quò accedit, quod *Baptiſmus lauacrum ſit regenerationis & innouatio Spiritus ſancti*, Tit. 3. *Obiectiones pro exorciſmo, diluuntur.* 1.

Inſtantia: Qui in poteſtate diaboli ſunt, tanquam filii iræ, exorciſmo opus habent. Infantes propter originale peccatum ſunt eiuſmodi. Ergo, &c. *Reſpondetur*: 2.

Primò, Vitium eſſe in maiori propoſitione: quæ, ſine verbo Dei, à Chriſto vnico redemptore, filios iræ ad exorciſmos remittat; cum non hi, ſed ille deſtruat opus diaboli. Et quanquam naturâ ſumus iræ filii omnes; non tamen iræ diaboli ſumus, vt iſte cui vult, pro libitu inſultet; ſed irę Dei iuſtiſſimæ. Ita tamen, vt ab ira illa, per fœdus gratiæ Chriſti, eripiantur credentes & eorundem liberi, hoc fœdere compræhenſi, *Geneſ.* 17. *verſ.* 7. *Marci* 10. *verſ.* 14. *Actor.* 2. *verſ.* 39.

Secundò, quoad aſſumptionem, infantes nō ſimpliciter ſunt (vt inconſideratè loquūtur multi) in poteſtate diaboli, propter peccatum originale; ſed in manu ac poteſtate Dei tanquam iuſti iudicis, qui aut iuſtè eos tradere poteſt in Satanę poteſtatem perdēdos, aut miſericorditer propter Chriſtum Filium, eripere, Rom. 9. *Non eſt volentis aut*

currentis, verum Dei miſerentis. Et ibidem, *lutum nō in diaboli, ſed in figuli*; hoc eſt, Dei poteſtate *eſſe*, perhibetur, v.28.21.

Tertio, ad conſolationem liberationis noſtræ ex poteſtate diaboli, non certos exorciſmos Chriſtus ordinauit; ſed gratiam ſuam & merita, per verbum Euangelii & Sacramenta fide & precibus impetrandam nobis offert; in quo pii conquieſcere tutò poſſunt omnes, ac debent.

3. Sunt etiā qui putent, retineri exorciſmū tanquā rem ἀδιάφορον poſſe. Verum ideo res media eſſe nequit, quod in ſeſe magica ſit, certorum verborum ac cęremoniarū adhibitis pnūciatione & vſurpatione, adiuratio, extra & contra verbū Dei ſuſcepta: Et quia ſpectaculū eſt inane, imo ludibriū, ſine effectu aut fructu, vel ppter abuſum diuini nominis venit explodēda; præſertim quod tanquā pars neceſſarii cult⁹ circa Baptiſmum, Eccleſiæ obtrudatur. Plus interim continet exorciſmus ſuperſtitionis ac periculi quā vel cōſolationis vel vtilitatis. Exemplo ſint exorciſtis tam temerariis & vanis, Sceuę ſaltem filii, *Act.* 19.

4. Obtruditur deniq; priſcorum Patrum authoritas, qui in Baptiſmo exorcizatione vſi fuerint. Sed neq; omnes id fecerunt, nec vetuſtiſſimi. Neq; verò ſic ad vllos patres alligata eſt Eccleſia, vt omnia illorū, imitari, cogitur: ſicuti nec omnia quibuſvis temporib. aut locis conueniunt. Videndum enim non quid fecerint, ſed quid facere debuerint. Item,

tem, quid verbo Dei ſit conforme, & ad Eccleſię ædificationem conducibile. Alioquin rebaptizandi etiam ex Cypriani ſentētia forent, ab hæreticis, in nomine Patris, Filii & Spiritus S. baptizati. Et infantib. danda eſſet Euchariſtia, vt putauit Auguſtin. Et eâdem operâ, oratio pro defunctis, aliaq; id genus, virtute Euangelii exploſa, poſtliminio in Eccleſiam eſſent reducenda. Sed Eccleſia, etſi patres veneratur & ſuſpicit, non hominum tamen vel ſanctiſſimorum, in ratione cultus diuini, authoritate nititur, præſertim repugnante Scriptura: verum ſuperſtructa eſt ſuper fundamētum Apoſtolorum & Prophetarum, cuius imus angularis lapis eſt Chriſtus, *Eph.* 2.

Sententia de exorciſmo Theologorū recentiorū.

Sed nō pigebit me adſcribere in hanc ſententiam nonnulla ex Theologorum noſtri tēporis monumētis. Lutherus de Baptiſmo, in catecheſi: *Cogita igitur inter baptizandum haſce res externas eſſe minimas, vt ſunt afflare, cruces aſſignare, ſal ori ingerere, ſputū & lutum aurib. & narib. immittere, oleo pectus & humeros inungere, & chriſma vertici capitis illinire, veſtem albam induere, lumina ardetia in manus tradere, & quicquid huius porrò eſt ab hominib. ad ornandum Baptiſma, adiectum. Nam etiam ſine iſtis cūctis, baptiſmus ritè perfici poteſt. Neq; iſti ſunt veri gryphi vel artes, quas formidat aut fugit diabolus. Iſte vel maiora contemnit. Sed eo vtere, vt vera adſtes fide.*

Petrus Martyr 1. Regum 8. vbi prolixè &

ſolidè hanc rem tractat, inter cætera ait: *Cyprianus lib. 4. Epiſtola 7. ſcribit ad Magnum, Spiritus immundos quandoque ſeruos Dei fallere, dum ab eis adiurantur, & fingere, ſe abire, cum tamen haudquaquam diſcedant: Verum cum ad aquam ventum ſit, ſcilicet baptiſmum, ibi diabolũ minimè valere ſubſiſtere, ſed prorſus diſcedere neceſſe ferendo Sacramenta. Cũ hunc locum*, inquit, *mecum diligenter reputo, videor mihi deprahendere fontem, caput & initium coniunctionis exorciſmi cum Baptiſmo. Nam videtur is pater innuere, ſi liberatio non proceſſiſſet exorciſmis: homines, eo tempore, ad Baptiſmum confugiſſe: & hanc rationem ſecutos eſſe homines in curandis arreptitiis. Vnde poſtera ætas, id voluit imitari, vt ante Baptiſmum adhiberentur exorciſmi, etiamſi tingendi non fuiſſent arreptitii: nequid minus habere viderentur, quam prior Eccleſia, in qua ii, qui exorciſmis curari non potuerant, deferebantur ad Baptiſmum ſuſcipiendum. Et poſtea conſecutum eſt, vt licet facultas depellendorum dæmonum in præſentia non habeatur, exorciſmis tamen Papiſtæ vtantur.* Wolfgangus Muſculus in locis communibus: *Nec illud in vſu fuit Apoſtolis, quod exorciſmis inter baptizandum, vtuntur, quibus diabolum adiurãt, vt ex infantibus baptizandis egrediatur. Faciunt hoc quoque prorſus ſine exemplo Chriſti vel Apoſtolorum, non ſolùm quod ritum baptizandi attinet, ſed & aliâs in vniuerſum. Quis enim illorum vnquam Satanam adiurauit,*

Digitized by Google

nit, vt egrederetur ex eo, qui peccatis eſſet obnoxius, & mente (non corpore) ab iſto obſeſſus? Dæmoniacos liberârunt Apoſtoli, præcipientes Spiritibus malis in nomine Ieſu Chriſti, vt exirent: De peccatoribus, nil tale ab eis factum, legimus.

Non ſunt autem adeo dementes aduerſarii, puto, vt infantes à Satana corporaliter obſeſſos eſſe, dicant: aliâs oportuiſſet Chriſtum *Matth.* 19. pellere, ex illis malos ſpiritus, qui ad ipſum afferebantur; quod tamen non fecit. Quod ſi hoc propter originale peccatum fieri dicunt, cuius gratia infantes obſtricti ſint regno Satanæ: quare, obſecrò, non fecit idem, Chriſtus, publicanis & peccatoribus? Et Apoſtoli omnibus quos baptizarunt, vtique in peccato conceptis & natis? Fuerit ſanè vſus exorcizandi in Eccleſia temporibus Cypriani & Auguſtini. Verum non quæritur, quid fecerint patres? Sed quid Chriſtus inſtituerit; & Apoſtoli fecerint?

DE COENA DOMINI.

HIc ſeptem pertractanda ſunt capita. Vtpote: de ratione nominis, de ritibus externis, de interno myſterio & genuino intellectu, de ratione ac modo præſentiæ corporis & ſanguinis Domini, de ſumptione & fruitione vera, ac de mãducatione indigno-

rum, item de fine & vſu ſacræ Cœnæ, ac poſtremò de probatione ſuiipſius.

Cœna cur ſic appellata? Et quare dominica?

I. *De ratione nominis & appellatione ſacræ Cœnæ*

Nomen *Cœna dominica* extat 1. *Cor.* 11. ℣. 20. Ac duabus de cauſſis ità vocatur. *Primò*, propter notationem temporis veſpertini, quo primitus, finito paſchate, celebrata eſt, *Luc.* 22. ℣. 12. 14. 20 *Matth.* 26. ℣. 20. *Marci* 14. ℣. 17. *Deinde* Cœna etiam vocatur ratione myſterii, propter ſufficientiam cibi potusq; ſpiritualis. Nimirum, ꝙ, quemadmodũ Cœna totius diei eſt cõplementum, vid. quoad hominis ſuſtentationem: ſic vniuerſa recreatio animæ & omne eius in hac vita complementum, hæc Cœna in corpore & ſanguine Chriſti, cõmonſtret. Vnde etiã tota Euangelii gratia cũ Cœna magna cõparatur, *Luc.* 14.

Dominica autem dicitur ab authore, vid. Chriſto Domino: qui peculiàriter eam, ſuis diſcipulis & Eccleſiæ, vt rem ſanctam, à Cœnis vulgaribus diſcretam & ſeparatam, inſtituit, *Mat.* 26. ℣. 26. *Marc.* 14. ℣. 22. *Luc.* 22. ℣. 19. 1. *Cor.* 11. ℣. 23.

Menſa Domini.

Appellatur & *mẽſa Domini*, 1. Cor. 10. v. 21. Idq; propter altaris & ſacrificiorum V. Teſtamenti, per vnicum Chriſti in cruce peractum ſacrificium expiatorium factã abolitionem; & propter mutatum Sacerdotii ordinem, qui non ab Aarone, ſed à Melchizedeco deducitur & computatur in N. Teſtamẽto, *Hebr.* 7. ℣. 12. 13. 18. 27.

Dicitur

Dicitur etiam, *Fractio panis*: quemadmodum videre eſt in *Act.c.2 vſq.41*. Hoc nominis habet à ſolenni ritu frangendi panem, non ſine cauſſis grauiſſimis ab ipſo Chriſto inſtituto & ab Apoſtolis vſurpato, 1. *Corinth.* 10. vſ. 16. 17. **Fractio panis.**

Vocatur inſuper *Euchariſtia* & *Eulogia*: non à ſuperſtitioſa, & Pontificia, quinq; verborum (*Hoc eſt enim corpus meum*) ſubmiſſa pronunciatione, ſiue demurmuratione, quã *cõſecratione* iſti vocant: ſed à piis precib. & gratiarũ actione, pro ſummo redẽptionis humanæ beneficio, & mortis Domini memoria, in hoc ſacramẽto, requiſitis, *Mat.* 26. v. 26. 27. 30. 1. *Cor.* 10. v. 16. c. 11. v. 23. **Euchariſtia.**

Priſci patres *ſynaxin* & *liturgiam* appellarunt: vid. propter celebritatem cõuentuum Eccleſiæ: & ꝙ Cœna Domini, non ſit Miſſa priuata ſeu angularis, ſed publicum & ſolẽne miniſterium Eccleſiæ. Quẽadmodum neq; vox λειτυργίας quid aliud quam publicum miniſterium ſignificat; non aũt peculiare ſacrificium: Idcirco & Paulus ad Cœnę actionem Eccleſię conuentus requirit, 1. *Cor.* 11. v. 20. **Synaxis & Liturgia.**

Dicta quoq; fuit Ἀγάπη, duabus de cauſis. *Primò*, ꝙ pios tãquam vnius corporis membra, ſub Chriſti capite, officii de mutua ac fraterna dilectione, commonefaciat, 1. *Cor.* 10. v. 12 *Joh.* 13. v. 24. **Agape.**

Secundò, propter eleẽmoſynas, in primitiua Eccleſia, circa Cœnam, ꝓ declaranda charitate Chriſtiana, cõtributas. Quę olim ἀγά-

Digitized by Google

ται dicebantur; *Tertullianus in Apologetico, cap.*29.

Cœna cur ſacrificium dicta?

Denique diffiteri non debemus, Cœnam aliquoties à priſcis etiam patribus appellari *ſacrificium*. Fit autem illud longè alio ſenſu ac fine, quàm apud Pontificios. Neque enim Patres eam, (vt iſti faciunt) *ſacrificium expiatorium pro viuis ac mortuis*, vocant: nec ſenſerunt, in Cœnæ adminiſtratione, denuò Chriſtum Deo Patri offerri, ſiquidem ſemel & ſufficienter ille in cruce oblatus eſt, ad generis humani æternam redemptionem, *Roman.* 6. *verſ.*9.10. *Hebr.*7.*verſ.*27.*cap.*9.*verſ.* 12.*cap.*10.*v.*12. Sacrificii verò nomen Cœnæ illi tribuerunt, propter cauſas ſequentes.

Primò, quod ea ſit ἀνάμνησις & recordatio veri & vnici ſacrificii Chriſti in cruce peracti: Sicut ipſe ait: *Hoc facite in mei memoriam.*

Secundò, quod offeratur in hac ſacra actione, Deo, ſacrificium laudis per gratiarum actionem & preces, idque ex ipſa Chriſti inſtitutione & more.

Tertiò, quod non minus in ſacra Cœna, quā in Baptiſmate ac toto cultu, pii ſeipſos, Deo exhibeant, ſacrificium viuum, *Rom.* 12. Idq; ratione mutuæ obligationis, iuxta fœderis gratiæ formulam requiſitę.

Poſtremò, quod collectæ & eleëmoſynę, quas Scriptura vocat ſacrificia grati odoris, olim in Cœnæ adminiſtratione diſtribui ſolitę fuerint, *Phil.*4.℣.15.*Heb.*13.℣.16.

I I. *De ex-*

Digitized by Google

II. *De externis Cœnæ Dominici ritibus.*

Ritus cœnæ.

Hìc illi ipſi ſufficiunt, quos Chriſtus Dominus in S. hac actione, & vſurpauit ipſe, & inſtituit, inquiẽs: *Hoc facite.* Quò .n. Cœna ſecundum primam inſtitutionis formulam ſimplicius adminiſtratur: eò certè rectius. *Fruſtra namque Deus mandatis hominum colitur*, Matth.15.

Conuentus & cœtus piorum.

Ordinauit autem Chriſtus piorũ conuẽtꝰ & cõgregationes, vt κοινωνίας ſimul & διδαξίας conſtet ratio. Quemadmodum & Chriſtus cum diſcipulis in prima cœna fuerunt congregati; totius Eccleſiæ archetypum & imaginem exprimentes. Et Paulus, qui à Domino acceperat, quod hac de re Corinthiis tradidit, ſimiliter conuentum Eccleſiæ requirit, inquiens, *Quoties conuenitis*, &c.1.Cor.11.

Menſa.

Deinde menſam Chriſtus, altari & ſacrificiis V. Teſtamenti iam abolitis, ſubſtituit. Vnde & *menſa Domini Cœna* appellatur. 1.*Cor*.10.*verſ*.21.*Hebr*.7.*verſ*.13.

Fractio panis.

Tertio, fractio panis & vini poculum adduntur, harumq; rerum inter fideles diſtributio. Quo ipſo confundũtur, qui caſeum olim ſimul vſurpabant, *artotyrita* dicti: nec nõ *Aquarii*, qui meram aquam loco vini ſumebant: quemadmodum hodieque pontificii, vinum non niſi aquâ dilutum, vſurpantes, & panem non niſi azymũ & nummorũ inſtar rotũdulum atque minutulum: Deniq; illi ipſi etiã poculo plebi ſublato, Cœnã mutilantes.

Preces & gratiarũ actio.

Quarto requiruntur etiã in vſu Cœnę, pre-

Q

ces & gratiarum actio. Siquidem Chriſtus εὐχαριστήσας καὶ εὐλογήσας panem fractum & poculum vini diſcipulis porrexit. Vnde & Paulus Cœnæ Domini poculum vocat ποτήριον τῆς εὐλογίας, &c.

Recitatio verborum Cœnæ.

Deniq; & verba Cœnę populo recitanda ſunt: quandoquidem id facere Chriſtus iubet, quod ipſe prior fecerit: & populus de hoc Chriſti inſtituto epulo, nō minus quam olim de agno paſchali, rectè edocendus eſt. Nec tamen ex eo conficitur vel probatur Pontificiorum iſta quaſi magica, quinque verborum, ſuper pane & vino excogitata, ac demurmurata, conſecratio.

Altaria & candelæ ardentes cum veſtitu miſſali.

Quod autē præter hoſce ritus ordinarios & legitimos, multis in locis conſpiciantur altaria, candelę ardentes, veſtitus miſſalis & ſimilia; id ex inſtitutione Chriſti nō deſumptum eſt: ſed mera ſunt ſuperſtitioſorū hominum cōmenta. Quorum Antichriſtus opera, Cœnam ornare amplius volentium, ad obſcurandā veritatis lucem & verum Cœnę Domini vſum corrūpendū, ſtabiliendam verò ἀρτολατρείαν & noui Dei *Mauzim* cultum introducendum, abuſus eſt. Quô acceſſit πανσπερμία cęremoniarum veteris Teſtamenti, & quarundam ex medio gētiliſmo petitarū.

De veſpertino tempore, & ſimilibus Cœnæ circūſtantiis.

Sed quærunt hìc aliqui, ſi tam præcisè ad ritus à Chriſto in prima Cœna vſurpatos adſtringamur; cur non & veſpertino tempore & in priuatis ędibus, itemq; cum Iudaico diſcubitu tunc temporis vſitato, Cœna peragatur?

Google

gatur? Verum qui tam argutè rem penſiculant, eâdem operâ poſſent ad cœnam requirere Iudam aliquē proditorem, ac lauationē pedum & contentionem de primatu atque ipsā fortè vrbē Hieruſalē. Nos autē de iis loquimur cæremoniis, quæ ex inſtituto Chriſti, in prima Cœna obſeruatę ſint. Etenim ad res ipſas à Chriſto mandatas, non ad certum tempus aut locum ſitumve & habitum corporis, vel ſimiles circumſtantias, Chriſtiani, alligantur, *Coloſſ.2.verſ.*20 21 22.

Ad fractionē verò panis Euchariſtici q͛d attinet; ea quidē grauiſſimis vrgetur de cauſſis. *Cur fractio panis retinenda: quodnam eius myſterium.*

Primo, quia ad rem ſeu actionē ipſam illa pertinet, nec inter accidentarias & liberas referri cæremonias poteſt.

Secundo, quia Chriſti mandato (*Hoc facite*) comprehenditur.

Tertio, propter exemplum Apoſtolorum, qui mandatum Chriſti probe aſſecuti, hunc ritum (cęteris omiſſis circumſtantiis) exactè & præciſè obſeruarunt.

Quarto, eundem, inde ab Apoſtolis, morem primitiua retinuit Eccleſia; vti patet ex hiſtoriis.

Quinto huc facit, quod ab hoc tanquam primario ritu ſacra Cœna, tempore Apoſtolorum, *Fractio panis*, dicta fuerit.

Sexto retinenda eſt hæc hiſtoria propter myſterium triplex. Quorū primū eſt paſſionis & mortis Dominicæ repręſentatio. Id.n. Paulus innuit, cū ꝓ eo, quod Euāgeliſtæ *cor-*

Digitized by Google

pus Chriſti pro nobis traditum dicunt, ille, *fra-ctum pro nobis*, ait: quod partim per vulnera Chriſto inflicta, partim per verā corporis & animæ eius diuulſionem, factum eſt. Et huc reſpicit Apoſtolus quando inquit, *Panis quē frangimus, nonne communio corporis Chriſti eſt*? 1. Cor. 10. & 11.

Alterum eſt myſterium, quod vnus panis fractus & inter multos diſtributus, teſtimonium ſit fraternæ vnitatis & mutuę dilectionis, inter quosuis credentes, tanquam vnius corporis membra, 1. Cor. 10. verſ. 16. 17.

Tertium deniq;, quod fractio panis, propter mortis Chriſti myſterium, fideles commonefaciat, de culpa ac reatu peccati & frangendis cordibus, non obdurandis: vt nimirū diſcant probare ſeipſi, & humili fractoque ſpiritu, ſe ipſos iudicantes, ad menſam Domini accedant.

Septimo, ꝓpterea quoq; retinēda hæc eſt ceremonia, vt multiplices euitentur abuſus: qui ex ea neglecta, ad ſuperſtitionem vſque & artolatriam, adeoq; idoli *Mauzim*, ſtabilimentum, in Eccleſiam inuecti ſunt.

De pane azymo.

Porrò de *pane azymo* in prima Cœna vſurpato, ſic ſtatuendum, quod ex more veteris paſchatos, in quod ea incidit, Chriſtus illum adhibuerit: non vt perpetuò idem fieret. Quò & veſpertinum tempus, cum aliis quibuſdam cæremoniis, referendum eſt. Apoſtoli enim extra tempus paſchatis poſtea & interdiu Cœnam celebrārunt & pane vulgari

Digitized by Google

gari fermentato vſi ſunt: neutiquã id facturi, ſi de azymo pane legem ſancitam ſciuiſſent. Liberum itaq; Chriſtianis fore oſtenderũt, ſiue fermentato ſiue infermentato in Cœna vti pane, abſq; vlla conſcientię læſione. Quò minus olim fuit neceſſaria, tam diuturna iſta & acris inter Eccleſias occidentales & orientales, hac de re concertatio: durãs ab Alexandro I. pont. Rom. vſq; ad Eugenium III. annis circiter mille & viginti. Quemadmodum enim, quale vinum ſit adhibendum, rubeumne an album, vetus, an verò nouum, nulla vnquam fuit quæſtio: ſic eandem de genere panis in ſacra Cœna adhibendi, libertatem Eccleſia retinet.

Dicendum nunc de vini poculo in Cœna Domini vſurpando: quod põtificii laicis negant, nec eo ipſis opus eſſe dicunt, ſiquidem alioquin illi propter concomitantiam (vt loquũtur) ſanguinẽ Domini, ſumpto corpore eius ſub ſpecię panis, participent. *Cõcomitãtiã* iſti vocant, quod ſine poculo, plebs, accepto pane, qui iã ſit in corp⁹ Chriſti tranſſubſtantiatus, percipiat ſimul & ſanguinẽ tam certò, q̃ non eſt ex ſanguine corpus Domini. *De poculo Cæna.* *Concomitantia.*

Non autẽ conſiſtit hæc opinio: idq; duab⁹ de cauſis. *Primum*, q̃ nata ſit ex præ concepto errore corporalis præſentię & tranſſubſtantiationis: de quo poſtea ſuo loco. *Deinde* quod pugnet eadem cũ Chriſti Inſtitutione: quippe qui communionem ſui corporis, pane (non poculo) quẽadmodum & commu-

Digitized by Google

nionem ſanguinis ſui, non pane, ſed poculo, piis teſtatam facere voluerit. Nec vlla vnquã fuit neceſſitas ab hac Chriſti ordinatione diſcedendi, nec verò curioſitas humana, diuinę Chriſti ſapientiæ, vel præiudicare & pręſcribere vel derogare quicquam poteſt.

III. *De vero intellectu ac myſterio Cœnæ Domini.*

Myſterium Cœnæ communio corporis & ſanguinis Domini.

Dictum eſt de externis cęremoniis & ritu Cœnæ: nunc diſpiciendum quid interni ea contineat myſterii. Id namque longè eſt maximum. Videlicet, quod panis ex inſtituto Chriſti Domini fractus & ſumptus, credẽtibus communio ſit corporis Chriſti in cruce pro nobis traditi: & poculũ εὐλογίας, quo gratias agimus, iiſdem ſit communio ſanguinis Chriſti. Sic enim Paulus interpretatur verba Chriſti de pane euchariſtico: *Hoc eſt corpus meum*, &c. ac de poculo, *Hoc eſt ſanguis meus*, &c. Is verò ab ipſo Chriſto acceperat, quod Corinthiis tradidit: non temerè confinxerat. 1. *Cor.* 10. *verſ.* 15. 16. 1. *Cor.* 11. *verſ.* 23. Itaque cõmunio corporis & ſanguinis Domini pręcipuum & primarium eſt myſterii Cœnę ipſius fundamentum.

Coniunctio fidelium inter ſeſe.

Deinde ex eo ſequitur irrefragabiliter & indiuulsè etiam illud, quod ipſi inter ſeſe fideles in Chriſto capite, vnum ſint corpus & vnius corporis, cuius caput Chriſtus eſt, mẽbra. Neque idipſum retiouit Paulus, quandò ait: *Vnum corpus multi ſumus, quoniam de vno pane omnes participamus.*

Eſt

Eſt autem ea communio corporis & ſanguinis Chriſti, quam vulgo vocant *præſentiam & ſumptionem*, ſeu *fruitionem*, itemque *manducationem & bibitionem corporis & ſanguinis eius.* Quod omne Chriſtus ipſe Iohan. 6. verſ. 56. ſic explicat: *Qui edit carnem meā & bibit ſanguinem meum, in me manet & ego in eo.* Item: *viuet ipſe quoque per me.*

Proinde hęc communio eſt arctiſſima illa coniunctio & vnio fidelium cum Chriſto Domino: nēpè talis, vt ipſe ſit caput, illi corpus & membra, per Spiritum ſanctum & fidem ſacrificii Chriſti in cruce peracti, ita ei, coalitione ſpirituali agglutinati, vt ab ipſo nunquam diuellantur aut deſerantur in æternum, & ipſo toto vero Deo & homine, cunctiſque eius beneficiis perpetuò magis magiſque perfruantur. *Communio corporis & ſanguinis Domini quid?*

Etſi verò idem beneficium vel extra Cœnæ actionem verbo Euangelii & baptiſmo ſibi confirmatum, credentes obtinent: attamen Cœna Domini peculiare eſt huius cōmunionis ſacramentum, pignus atque teſtimoniū, quod nimirum illa ſit piorū propria, & in iiſdem æterna & immutabilis. *Quomodo communio Chriſti in Cœna & extra illam fiat?*

Proponitur autem & declaratur hæc res in Scriptura ſancta peculiaribus exemplis & ſimilitudinibus.

Primo tam in Cœnæ inſtitutione quā alibi, cum cibo ac potu eam confert; non modò propter externā mānducationis & bibitionis *Communio exemplis declaratur.*

Digitized by Google

cæremoniam, ſed multo magis propter internæ fruitionis & nutrimenti ſpiritualis analogiam. Vnde ait: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum*, &c. Et Iohan. 6. *Caro mea verè cibus eſt, & ſanguis meus verè potus.* & verſ. 35. *Qui venit ad me, nequaquam eſuriet, & qui credit in me, non ſitiet vnquam.* Item, *Panis quem ego do eſt caro mea, quam do pro mundi vita.* Quò facit & illud Matth. 15. *Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quia ipſi ſaturabuntur.*

Deinde, eandem quoq; rem ſimilitudine vitis & palmitum in ea manẽtium, vt fructũ ferant, exponit Chriſtus, inquiens: *Ego ſum vitis vera.* Item, *vos eſtis palmites.* Item, *manete in me, & ego in vobis.* Iohan. 15. verſ. 5. 6. 7.

Tum *denique* Paulus apoſtolus vtitur ſimilitudine corporis & eiuſdem capitis ac membrorum. 1. *Cor.* 10. *verſ.* 16. 17. *Cap.* 12. *v.* 13. 14. 27. *Epheſ.* 1. *verſ.* 22. 23 *Cap.* 4. *verſ.* 4. 5. 6. 12. 13. 15. 16.

Etiam extra verba inſtitutionis alibi Cœna myſterium tractatur.

Tametſi autem nõ omnibus illis locis de externa agitur Cœnæ actione; idem tamen illic tractatur Cœnæ myſterium. Sicuti de cæremonia & actione Baptiſmi non agitur quidem Iohannis cap. 3 in colloquio Nicodemi, ſed illius tamẽ explicatur myſterium, dicente Chriſto: *Niſi quis denuò natus fuerit ex aqua & ſpiritu, non ingredietur in regnum Dei.* Et quidem tam perſpicuè de myſterio Cœnæ, hoc eſt, manducatione & bibitione cor-

corporis & ſanguinis ſui Chriſt⁹ capite ſexto Iohannis tractat, vt nuſquam dilucidius. Vnde tota orthodoxa antiquitas, ne vno quidẽ patrum excepto, & in primis, Cyprianus, Chryſoſtomus, Auguſtinus, vnanimi conſenſu de Cœna Domini totum illud caput, interpretati ſunt. Ac citatur de hoc negotio etiam in Apologia confeſſionis Auguſtanæ cap. 11. locus Cyrilli perquam egregius, ex capitibus ſexto & decimo quinto Iohannis pro declaranda ſacra Cœna, concinnatus. Præterquã quod in Iure canonico de Cõſecratione citentur ex capite eodem ſexto Iohannis, ad myſterii Cœnæ Dominicæ explicationem, permulta. *De ſexto capite Iohannis.*

Itaque cum Paulus 1. Cor. 10. *panem quem frangimus & poculum gratiarum actionis, cõmunionem eſſe corporis & ſanguinis Domini,* affirmat: nõ hoc vult, quod carnis aut sãguinis Chriſti, vlla ſit corporalis coniunctio aut copula cum pane, & vino, quodvè propter panem ac vinum illæ tantæ res adſint: ſed ꝙ externa hęc elementa in cœnæ actione & vſu, piis communionem corporis & ſanguinis Domini confirment. Ideò enim Chriſtus ait: *Accipite, comedite, hoc eſt corpus meum.* Et Iohan. 6. *Panis quem ego do, eſt caro mea, quam do pro vita mundi.* Neq; enim pani & vino, ſed veſcentibus illa communio promittitur corporis & ſanguinis Domini. *Cur panis vocetur, cõmunio corporis Chriſti, & poculum communio ſanguinis.*

Atque huc pertinet perpetua Sacramentorum ratio ac phraſis. Dicitur enim *circum-*

Digitized by Google

Ratio Sacramentorum perpetua.

ciſio fœdus Dei, Geneſ. 17. ac ibidem explicatur de fœderis illi⁹ ſigno & teſtimonio, quēadmodum & Rom. 4. Et *agnus paſchalis* dicitur *phaſe*, id eſt, tranſitus, *Exod.* 12 *verſ.* 22. & nihilominus de ſigno tranſitus explicatur verſ. 13. Baptiſmus vocatur *lauacrum regenerationis* & *innocatio Spiritus ſancti, & ablutio peccatorum*, & *eperotema bonæ conſcientiæ erga Deum*. Tit. 3. Act. 22. v. 16. 1. Pet. 3. verſ. 2. Hęc ergo eſt ſententia, *panem ac poculum Eucharisticum* dici *corpus & ſanguinem Domini*, quod ſint ſacramentum & teſtimonium, pios frui communione corporis & ſanguinis eius.

Quomodo fideles inter ſe ipſi corpus Domini?

Ne verò quis miretur, quod ipſi etiam fideles vnū inter ſe corpus & corpus Chriſti, appellantur: ſciendum bifariam corpus Chriſti conſiderari in S. Cœna.

Primo, quatenus Filius Dei ὁ λόγος verum corpus humanum organicum, anima rationali præditum, in vnitatem æternæ ſuæ perſonæ indiſſolubiliter aſſumpſit: in quo pro nobis paſſus ac mortuus eſt & reſurrexit; quodq; reſuſcitatum cœlo intulit & in gloria æterna retinet: in quo denique viſibiliter & glorioſè ad iudicium rediturus eſt. Huius igitur in primis corporis ſui & ſanguinis cōmunionem in Cœna ſua piis pollicetur. Deinde vocatur etiam & eſt *Corpus Chriſti* (ſed ſpirituale) tota credentium Eccleſia, cuius ille caput eſt. Et in hoc etiā corpore, propter cōmunionem, & vnionē cum ipſo Chriſto tan-

Digitized by Google

tanquã capite; pii cuncti & ſinguli, per ſuppeditatas commiſſuras, compage ſpirituali cohærent; vnũ inter ſeſe corpus (quod Chriſti ſit) conſtituentes, adeoque & ipſi corpus Chriſti ſunt, & eiuſdem membra, 1. *Cor.* 10.

Tantum hactenus, de myſterio & genuino intellectu Cœnæ Dominicæ.

IV. *De ratione & modo præſentiæ corporis & ſanguinis Domini in ſacra eius Cœna.*

Cum præcipuum ſit (vti dictum) ſacræ Cœnæ myſteriũ, corporis & ſanguinis Chriſti inter fideles communio; agnoſcenda inprimis & credenda eſt illarum rerum vera pręſentia. Alioquin nec Domini, ſed noſtra tantum foret Cœna; nec veſtra conſiſteret communio.

Chriſtus in Cœna præſens.

Non autem alia fingenda pręſentia, quam qualis ab ipſomet Chriſto ꝓmiſſa & expreſſa declarata eſt. Nimirum, vt *in ipſo maneamus & ille in nobis*: quemadmodũ Iohã. 6. ait: *Qui edit carnem meam & bibit ſanguinem meum, is in me manet, & ego in eo.* Non autem corpore noſtro intra ipſius corpꝰ includimur, ſed manemus in eo per Spiritus ſancti vinculum & fidem: ergo nec alia eſt ipſius intra fideles ſiue per Cœnam; ſiue per Baptiſma & verbum, pręſentia & manſio. Hęc autem vſquequaque eſt ſufficiens & efficax ad noſtrę ſalutis conſeruationem; nec vlla alia vel melior vel cum hac ſaltem comparanda in Scripturis expreſſa eſt, nedum excogitanda. 1. *Cor.* 6. *Epheſ.* 3.

Præſentia Chriſti in Cœna eſt ſpiritualis.

Digitized by Google

Corporalis præſentia quamobrem reiicienda?

Quod verò alii corpus & ſanguinem Domini, illud *in, cum* vel *ſub pane*, hunc, *in, cum* vel *ſub* vini poculo, corporaliter adeſſe ſtatuunt, ſed inuiſibiliter & incomprænhenſibiliter; id ex mero ſomnio humano Papatꝰ arripuit, & ex eo poſtea hauſtũ, Euãgelicis quibuſdam Eccleſiis, tãquam reliquię infauſtæ, remanſit: nec alibi in tota Scriptura ſancta traditum, reperitur. Reiicienda igitur corporalis iſta præſentiæ opinio, propter ſequentes cauſſas.

Primo, quod pugnet ea, cum veritate & analogia articulorum fidei: & nominatim illorum, vtpote, de Chriſti incarnatione, aſcenſione in cœlum, & viſibili glorioſoque eiꝰ reditu ad iudicium. Si enim corporaliter in his terris vbique inter fideles adeſt; neq; verum habet corpus humanum & carnem, nec verè hunc mundum deſerens aſcendit, nec denique veniet ad iudicium, ſed iam tum præſens corporaliter adeſt, &c.

Secundo, inter vltimi temporis errores Eccleſiæ noxios Chriſtꝰ ipſe numerat: quod dicturi ſint aliqui, *Ecce hic eſt Chriſtus, ecce illic, intus in penetralibus, foris in deſerto.* Aitque: *Nolite credere. Ecce prædixi vobis.*

Tertio, Nullus Scripturę apex Chriſti corpus vel ſimul pluribus in locis, vel vbiq; vnquam fuiſſe aut futurum, docet: non igitur temerè ex male intellectis Cœnæ Domini verbis, tale quid confingendum.

Quar-

Quarto, obſtat veritas humani corporis à Chriſto aſsũpti; de quo poſt reſurrectioné iam tum glorificato, ipſemet ait: *Palpate & videte; nam ſpiritus carnē & oſſa non habet ſicut me videtis habere.* Lucæ 24.

Cæterum neque in cœleſti gloria hanc ſui corporis veritatem Chriſtus vel depoſuit, vel in ſpiritum (qui nec ipſe ſimul pluribus foret in locis) cõmutauit: ventur⁹ vtiq; viſibiliter magna cũ virtuté & gloria ad iudiciũ.

Quinto, ob eam pręcipuè cauſſam Cœna à Chriſto inſtituta eſt, qui corpus ſuũ ex hoc mundo in cœlum tranſtulit, vt illa in memoriam eius celebraretur. Vnde Paulus ait: *Quotiescunque comederitis panem hunc & biberitis hoc poculum: mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Non dicit: *dum adeſt.* Quo vel vno corporalis iſta præſentia euertitur.

Sexto, præbuit iſta opinio anſam impiæ artolatrię pontificiæ, & ſtabiliuit figmentum idoli Mauzim. Vnde ſublata corporali præſentia, ſimul concidit tranſſubſtantiatio, & Miſſæ vanum pro viuis ac mortuis ſacrificium, totusq; omnino ſuper hoc fundamétum extructus papatus.

Septimo, idé error, verum Cœnæ Dominici vſum penitus obſcurat ac deprauat, non ad fidei articulos & verum Chriſtum eiuſq; redemptionem, vtentes remittens, ſed ad opus operatum Miſſæ, & oralis manducationis fiduciam, & latitans neſcio quod in

pane Chriſti corpuſculum. Quæ vniuerſa nil niſi merę ſunt vanitates. Præterquam quod eadẽ opera tum Eutychetis, tum Neſtorii ſeu ab orco reuocentur hęreſes.

Diluuntur argumenta pro corporali præſentia adducta.

1. Obiicitur autẽ hîc, Chriſti omnipotẽtia, quâ poſſet efficere, vt corpus ſuum corporaliter ſit pręſens. Sed *Primo*, vt vere omnipotens eſt Chriſt⁹, de quo nemo citra blaſphemiam poteſt ambigere: ſic voluntati eius illa nunquam aduerſari putanda; neque pro noſtris commentis contra ipſius veritatem, vrgenda. Neque enim ideò quiduis facit quod homines ſomniant, quia eſt omnipotens: ſed quod ipſe vult, facit. *Deinde*, omnipotentiam eius ad modum corporalis pręſentię reſtringere; quid, quęsò, aliud eſt, quam eam extenuare & infringere? Adeo namque Chriſtus eſt omnipotens, ſapiens & verax, vt corpore ſuo non alibi quam in cęlo iam exiſtens, iuxta articulos fidei, nihilominus Eccleſiæ ſuę ſpiritualiter præſens, paſcere credentes eodem in his terris poſſit efficaciter, ad vitam ęternam.

2. Vrgentur autem hîc, verba Cœnę: *Hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*: quę corporalem videntur pręſentiam inferre. Atque ita ſanè permulti: quę vna eſt concertationis tamdiuturnæ & acris iam dudum Eccleſiam Chriſti turbantis, occaſio. Verum longè aliter, per locutionem ſacramentalem, inde ab Apoſtolis omnium locorum atque

que temporum Eccleſia orthodoxa, rem interpretata eſt.

Inſtant illi: Dicente Chriſto, *Hoc eſt corpus meum*, & ſubſtantiam eius & preſentiam corporalem, exprimi. De pane autem Cœnę, id eum affirmare. Proinde *in, cum, ſub pane*, ſubſtantiam corporis Domini adeſſe. 3.

Verum in maiori propoſitione diſtinguẽdum eſt. Quę tum demũ conſiſteret: ſi nulla alia de re, quam ſuo corpore, hoc pronunciaſſet. Quia verò de pane & poculo dixit, *Hoc eſt corpus meum*, *Hoc eſt ſanguis meus:* neutiquam eſt predicatio propria & identica: ſed ſacramentalis, tribuens nomen rei ſignatę ipſi ſigno.

Deinde quatuor inſunt termini in argumento. Nam pertinet maior propoſitio ad predicamentum Subſtantię; ſed aſſumptio verſatur in predicamento Relationis. Quominus certi quippiam poteſt concludi.

Vnde opinio præſentiæ corporalis enata.

Si origo huius tam triſtis & implacabilis controuerſię quęratur & inueſtigetur: nõ aliundè quam ex papatu ea exiſtit. Vbi hoc fine inſtituta eſt, vt cult⁹ numinis fictitii Mauzin patrib⁹ ignoti, per carnis Dominicę corporalẽ pręsẽtiã inueheretur & robur acquireret. *Dan.* 11. *v.* 38. Deinde ex officina Pontificia eundẽ arripuere errorẽ, ſub Euangelio, quibus religio fuit, penitus papiſticos abus⁹ reiicere; ſicuti in cæremoniis permulta etiamnum retinent, verbo Dei minimè conformia.

Quibus in rebus Euangelici corporalem Præſentiam ſtatuẽtes, cum Pontificiis conueniãt & in quibus diſcrepent?

Ne verò quis putet, Euangelicos illos idẽ per omnia de Sacramento Cœnæ cum pontificiis, ſentire: operę precium videtur, quibus in rebus cum iſtis, aut conueniant, aut diſcrepent paucis perſtringere.

Ac *primo*, quidem corporalis præſentiæ corporis Chriſti in S. Cœna, vtrimque mordicus opinionem retinent.

Secundo, carnem & ſanguinem Domini, externo ore corporis, percipi, itidem vtrimque ſtatuunt.

Tertio, & in eo conſentiunt, quod impii & hypocritę non minus carne Chriſti veſcantur & ſanguinem eius bibant, quã verè credentes.

Quarto, habuerunt etiam initio communia: conſecrationis opinionem, & altaria, & veſtes miſſales, itemque cereos ardentes, & eleuationẽ hoſtiæ (quam vocãt) cum eiuſdẽ adoratione, & ſimilibus. Verum Dei beneficio, plerique iam Euangelici, iſtis nęniis exploſis, purius cœnam ex inſtituto & præſcripto Chriſti hincinde adminiſtrant.

Quinto, docent vtrimque carnem & ſanguinem Chriſti, pluribus in locis, hoc eſt, vbicũq; Cœna pagitur, corporaliter adeſſe: quamuis generalem vbiquitatem dominici corporis (nuper à quibuſdam, ex Eutychetis & Serueti cineribus veluti reſuſcitatam) põtificii vnà cum orthodoxis, pernegent.

Rurſus, diſſentiunt à Pontificiis Euangelici illi, in eo, quod primum, laicis appellatis,

non

non ſit inuſu Cœnæ adimendum poculum Domini nec fingēda in pane, ſanguinis Chriſti concomitantia.

Deinde, quod nulla fiat panis & vini Euchariſtici in corpus & ſanguinem Domini, tranſſubſtantiatio.

Tertio, quod in vſu Cœnę, neque panis & vinum annihilētur aut euaneſcant, nuda ſui ſpecie dūtaxat relicta, hoc eſt, albedine, rotunditate, ſapore, & ſimilibus.

Quarto, quod Cœna non ſit miſſa & ſacrificium expiatorium, pro viuis ac mortuis.

Quinto, quod neque proſit cuiquam cœna, ex opere (vt loquūtur) operato, ſine bono motu vtentis.

Etſi verò in multis piè ſentiunt Euangelici illi, adeoq; cum pōtificiis nullo modo cōputandi ſunt, tanquam præcipua veræ fidei fundamenta amplectentes: non minus tamen eorum de præſentia corporali opinio (quę & ipſa ex papatu emanauit) erronea eſt atque taxanda, quam Pontificia tranſſubſtantiatio. Sed de iſta prius, poſtea etiam de illa.

Cur autē non conſiſtat error tranſſubſtātiationis, facilè ſequētes euincunt rationes. *Tranſſubſtantiationis confutatio.*

Prima, inter omnes gentes & in omnibus linguis, inauditum eſt, particulam ſeu verbū Subſtantiuum, *Eſt*, pro tranſſubſtantiatione poni vel vſurpari; multo minus illā habere vim, rerū ſubſtātias, ſola ſui pronūciatione, mutandi. Neq; enim Chriſtus dixit: *Fiat* aut

erit, corpus meum: ſed, EST. Iam, ſi eſt, non demum per conſecrationem, fit. Alioquin aut eſſe incaſſum diceretur, quod necdum eſſet: aut fieri demum, quod iam antè eſſet. Quapropter panis Euchariſticus & poculũ, ſunt corpus & ſanguis Domini, ex prima Chriſti inſtitutione: non fit pronunciatione verborum.

Nec illud ſunt, per tranſſubſtantiationem aliquam, ſed per Sacramentalem ſignificationem & vſum.

Nec deniq; panis ipſe, ſibi eſt, queadmodũ nec in, cũ & ſub pane & vino, eſt, corpus Chriſti, & ſanguis eius: ſed illud panis & vinum ſunt, vtentibus.

Secunda. Tranſſubſtantiationem, ipſimet eius authores ſubuertunt: dum fatẽtur eam fieri, non conuerſione ſubſtantiæ, ſed vnius in alterius euaneſcentis locum ſucceſſione.

Tertia. Paulus Apoſtolus diſertè ac perſpicuè, in ipſo Cœnę vſu, panem & panis fractionem (non fractionem corporis) adſtruit, 1. *Cor.* 10. *verſ.* 16.

Quarta. Tranſſubſtantiatio eſt nouum dogma in Eccleſia, vt nuper natum, ita piæ vetuſtati ignotum. Vt enim corporalis pręſentiæ Chriſti opinio tempore Sergii II. Papæ cepit initium, circiter annum Domini 844, cui ſe oppoſuerunt in Germania Rabanus Maurus, in Gallia Bertramus & Berengarius archidiaconus Andegauenſis, itemque porro Iohannes Mailroſius Scotus: Ita aliquan-

Digitized by Google

aliquantò poſt, ſub Nicolao II. circiter annum 1058, & rurſus ſub Gregorio VII. anno 1079, itemque ſub Innocentio III. circiter annum 1215, emergere tranſſubſtantiationis commentum cœpit & inualeſcere.

Huic autem nouo & antea inaudito errori, magno contradixerunt zelo, Almericus Pariſienſis in Gallia anno 1207. Ioannes Viclephus in Anglia, anno 1358. itemque in Bohemia Iohannes Huſſus cum Hieronymo, Pragenſi. Vt autem Berengarius fuit excommunicatus & ad palinodiam adactus, cuius eum vehementer poſtea pœnituit: ità Almericus, Viclephus, Huſſus & Pragenſis igne exuſti ſunt.

Quinta ratio. Fingit hoc dogma, aut accidentia extra panis & vini ſubſtantiam, & ſine omni ſubiecto, aut ea fundari in aëre, perquã ridiculè ſtatuit. Neque .n. hæc poſſe corpori Chriſti conuenire, Petrus Lõbardus fatetur *lib. 4. Sententiarũ*: Vt ſunt, albedo, ſubtilitas, ſapor, itẽ rotũdulum, minutulum, aceſcere, computreſcere, ac denique in vermiculos reſolui: nec panem amplius ſupereſſe dicũt, propter factam conuerſionem.

Sexta. Inuehit tranſſubſtantiatio, contra omnem Scripturam & omnium Sacramẽtorum rationem fictitiam quinque verborum conſecrationem, plusquam magicam: dum Sacerdotis demurmurationi tribuit, quod vi illius recitationis, panis & vinum, tranſſubſtantientur.

Septima. Vt vno dato inconuenienti ſequũtur infinita: ſic trahit hic error ſecum, ſacrificii expiatorii pro viuis ac mortuis in hoc Sacramẽto blaſphemã cõtra Chriſti merita, opinionem: toti quidẽ Euangelio contrariã.

Octaua ratio. Idem error tribuit Sacrificulo ſui creatoris creationem, idololatriæ horrendæ & impietatis extremę plenam.

Nona. Huc porrò ſunt referendę omnes illæ rationes, quibus corporalis præſentia corporis & ſanguinis Domini ſuperius eſt confutata.

Dilutio obiectionum pro tranſſubſtantiatione.

1. Obiicitur: Si cõuerſionem baculi Moſis, nõ impediuerit, quod durante miraculo, baculus ille tamen dicatur: nec obſtare transſubſtantiationi, ꝙ etiã panis in Cœnę actione ac myſterio, priſtinum adhuc nomen retineat: ſicuti 1. *Cor.* 10. *verſ.* 6. *& cap.* 11. *v.* 23. videre eſt. Reſpondetur, exemplum eſſe diſſimile. Differunt .n. longiſſimè, hiſtorica rei geſtę narratio de miraculo Moſis, & ſacramẽtalis in Cœna locutio. *Deinde* ſerpens ille baculus ideò dicitur, quia & fuerat & mox in formam priſtinam erat reducẽdus: quorũ nihil fit in Cœna. Quẽadmodũ neq; de pane vſquam legitur, quod in carnẽ Chriſti fuerit conuerſus, aut econtra: quod tamen de baculo Moſis expreſſè dicitur, in ſerpentẽ, & vice verſa in baculum rurſus commutato.

2: Inſtantia. Atqui tẽpore noui Teſtamenti munus purum, quouis in loco, nomini Dei oblatum iri, dicitur *Malach.* 1. *v.* 11. Iam quia nul-

nullum aliud in nouo ſacramento vſurpatur: Miſſæ ſacrificium certè ſit, neceſſe eſt. Quomodo autem ſacrificabitur, ſi panis & vinũ maneant? Proinde & tranſſubſtantiatio & Miſſę ſacrificium, hinc probantur. Sed loquitur primum propheta de toto cultu, ac deinde etiam in eodẽ, de ſpiritualibus & cõtinuis noui Teſtamenti ſacrificiis, videlicet gratulatoriis noui Teſtamenti, olim per legales cęremonias adumbratis. Qualia commemorantur *Pſal.* 50. *v.* 14. *Pſal.* 141. *verſ.* 1. *Rom.* 12. *verſ.* 1. *Heb.* 13. *verſ.* 10. 15. Quo etiam ſenſu, Chriſtiani omnes, vocantur, Sacerdotes & reges. *Apocal.* 1. *verſ.* 6. Nihil ergo de tranſſubſtantiatione aut Miſſæ ſacrificio, concludi ex Malachię dicto, poteſt.

3. Noua inſtantia. Certum eſt, Cœnam Domini ſucceſſiſſe in locũ agni paſchalis. Atqui agni fiebat in paſchate immolatio: Ergo & verus agnus paſchalis in Cœna (quę veteri paſchate non eſt inferior) immolandus: Ac, per conſequens, neceſſario fit tranſſubſtantiatio, virtute verborum, *Hoc eſt corpus meũ,* &c. ne videlicet, pro agno paſchali Chriſto, panis offeratur. At neutrũ eſt conſectarium, neq; agni noua immolatio, quę ſemel in cruce facta, nec ob eãdẽ falsò ac temerè excogitata tranſſubſtantiatio. Nam ſacra Cœna teſtificatio eſt & memoria, vnici ſacrificii agni paſchalis noſtri, Chriſti, quod ſemel in cruce peractum & lytron ſufficiens ꝓ peccatis humani generis, ad abolendam ęternam con-

demnationem, neq; vnquam repetendum eſt. *Hebr.7.verſ.24.25.Cap.9. verſ.28.*

4. Atqui, inquiunt, ſi Chriſtus ſub ſpecie panis in Cœna non offertur: quodnam igitur aliud eſt altare aut ſacrificium, de quo agitur *Heb.13.verſ.10?* Reſponſio eſt facilis & vera, non loqui illic Apoſtolũ de Cœna, ac multo minus de putatiuo Miſſæ ſacrificio. Cęterum *altare* appellat ille Chriſtum ipſum, in quo ſeu cuius fiducia offerendum Deo ſit ſacrificium Euchariſticũ laudis & eleemoſynarum. Vide eodem capite *verſum* 15.16.

5. Alia pro ſacrificio Miſſæ inſtantia. *Act.13.* dicitur de Apoſtolis, λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. Ergo miſſã illi celebrauerũt? Reſponſio. Cœna quidem Dominica olim λειτουργία non malè fuit appellata, propter publicam in Eccleſia fidelium adminiſtrationem atque diſpenſationem: ſed loco citato de Cœna nihil; quẽadmodum nec vllius ibi fit ſacrificii mẽtio. Loquitur aũt hiſtoria de publico tãtũ Apoſtolorũ miniſterio, qđ Chriſto Domino prǫſtiterũt. Atq; hoc etiã pacto Chryſoſtomus rem interpretatur de Verbi prǫconio.

6. Aliud argumentum. *Facere,* Latinâ phraſi, tantundẽ eſt, quãtum ſacrificare. Iã Chriſt⁹ dixit: *Hoc facite.* Ergo ſacrificiũ in Cœna inſtituit. Reſponſio. Neq; Grǫcǫ nec Latinæ linguǫ ratio vel grãmatica, talẽ in verbis Cœnæ ſenſũ admittit. Neq; etiã ſolis Sacerdotibus, verum toti Eccleſiǫ dicit, *Hoc facite.* Nec deniq; de vllo ſacrificio, ſed de inſtituta tota Cœnæ actione dicit: τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν

μνήσιν. Aliud. Cũ Chriſtus in Cœna ait: *Quod pro vobis traditur*, voce pręſentis temporis vtitur. Non igitur de corporis ſui, altero demum die in cruce peragẽdo, loquitur ſacrificio; ſed in Cœna prius illud obtulit: poſtridiè etiam in cruce immolandum Ex quo cõficitur adhuc Cœnam eſſe ſacrificium & oblationem corporis & ſanguinis Chriſti, &c. 7.

Plena datur ſolutio in verbis de poculo, cum Saluator ait Luc. 22. *Hoc poculum eſt nouum Teſtamentum in ſanguine meo, qui pro vobis effunditur.* Atqui nullam tunc ſanguinis effuſionẽ eſſe factam, ipſi Pontificii fatentur, hoſtiam incruentam, in Cœna offerri, dicẽtes. Ergo per Hebraiſmum, verbo præſentis temporis, propter certitudinem rei iam inſtantis, de ſacrificio ſequẽtis diei, hoc eſt, de corpore & ſanguine ſuo, altero ſtatim die, in cruce offerẽdo, locutus eſt. Neque bis, verũ ſemel ſeipſum obtulit, *Hebr.* 7. 9. nec ſæpius à quoquam id fieri voluit, aut mandauit.

Deniq; ſi repręſentatiuũ & cõmemoratiuũ in Cœna, ſtatuant ſacrificium: quô certè cõfugere aliqui, vrgente veritate, videntur; tunc ſeriò admonẽdi ſunt de ingẽti diſcrimine ſacrificii Chriſti ſemel verè in cruce præſtiti: & eiusdem in Cœna inſtitutæ ἀναμνήσεως. 8.

Ac nihilominus qui ità ſentiunt, cæteros eo ipſo confutant, decretis pontificiis contradicentes. Nã in Synodo Tridentina *can.* 1. & 3. ſic ꝓnunciatur: *Anathema eſt q. in Miſſa*

Digitized by Google

non agnoſcit verum & proprium ſacrificium: & nudum eſſe dixerit ſacrificii in cruce peracti commemorationem. Tantum de tranſſubſtātiatione & ſacrificio Miſſæ: neque enim pluribus hæc exagitare iam volumus.

Reſtat corporalis pręſentia corporis & ſanguinis Domini, ſine tamen tranſſubſtantiatione & ſacrificio: qualem Euangelici quidā (vt antè dictum) *in, cum, ſub* pane & vino, docent ac defendunt. Sed illa ipſa quoque merè eſt pontificia: nihilo magis quam trāſſubſtantiatio, in ſacris literis fundata: & paulo antè firmis rationibus exploſa. Recenſet enim eam Petrus *Lombardus lib. 4. cap.* 11. inter cęteras de modo conuerſionis opiniones papiſticas. Deinde & Petrus ab Alliaco Cardinalis Cameracenſis, eam tolerari poſſe exiſtimauit, modo Eccleſię conſenſus accederet. Sicuti teſtantur *Commentaria eius in Magiſtrum Sententiarum.* Inuenti tamen ſunt inter ipſoſmet pontificios, qui huic opinioni contradicerent. Vtpote ipſe *Lombardus*, ac præterea *Algerus* quidam, qui iſtius opinionis ſectatores per conteptum appellauit *impanatores*: quod nimirum ꝑ Chriſto incarnato, impanatum Eccleſiæ conarentur obtrudere. Et reiicit eundem errorem concilium Tridentinum; ſed multò ſolidius orthodoxa Eccleſia.

Corporalis præſentia nō minus papiſtica quam tranſſubſtātiatio.

Nec mirum interim hanc potuiſſe opinionem inter Euangelicos locum ſortiri: ſiquidem non plena ſtatim illis Euangelii lux

affül-

affulſit; nec tam citò omnes à præcõceptis papatus opinionibus auellere ſe potuerunt. Illis igitur, ne penitus a præſentia corporali recederent, viſa eſt hæc opinio tranſſubſtantiatione, tolerabilior. Qua de *Lutherus* prolixè in Captiuitate Babylonica, de Miſſa: & *Sleidanus hiſtoria ſua lib.* 20.

Redeam⁹ nunc ad veram corporis & ſanguinis Domini præſentiam, quam ex verbo Dei & ore Chriſti ſumptam orthodoxa profitetur Eccleſia. Hanc iam anteà *ſpiritualem* eſſe, diximus: quatenus videlicet Chriſtus maneat in credentibus, per fidem ac Spiritũ ſanctum, & ipſi viciſſim in eo: & quatenus ille caput eſt corporis ſui, hoc eſt, Eccleſiæ credentium: & illi viciſſim tã cum ipſo Chriſto capite, quam inter ſeſe, tanquã vnius corporis mẽbra, indiſſolubiliter cohęrent. Huius enim arctiſſimæ coniunctionis, vnionis & cõmunionis indiuulſæ, Cœna Domini euidẽs exiſtit teſtimoniũ, pign⁹, & obſignatio. *Confirmatio ſpiritualis præſentiæ Chriſti in Cœna.*

Pro hac igitur ſententia confirmanda atque declaranda, paucis, totã, inter Euangelicos, longo tempore agitatam, de genuinò verborum Cœnę ſenſũ, controuerſiam atq; diſputationem, perſtringemus. *Status controuerſiæ inter Euangelicos, de Cœna Domini.*

Ante omnia verò de formando ſtatu, diſpiciẽdum. Is enim formatur dupliciter: aut in verbis ſeu phraſi & modo locutionis: aut in rebus ipſis.

Primum, quandò de phraſi & verbis Cœnæ agitur, non illa eſt quæſtio: *an verba Cœ-* *1. In verbis Cœnæ.*

Digitized by Google

næ vera ſint atq; certa? De quo, nemo ſanè ambigit. Nec diſputatur (quamuis multi id putent, vel prętexant) an τὸ ῥητὸν ſit retinẽdum, & verba ſimpliciter, vti ſonant, intelligenda: neutra enim pars id facit. Sed quia pars vtraque à verbis Cœnæ recedit: & contendit vna, ſic phraſin (*Hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*) intelligendam, quod corpus & ſanguis Domini, *in, cum, ſub pane*, corporaliter adſint: Altera verò, de Spirituali præſentia Chriſti, rem interpretatur: Hoc duntaxat in quæſtionẽ venit, Vtra ex hiſce duabus interpretationibus, toti Scripturę & cunctis fidei Chriſtianæ articulis, conformior, & alteri pręferenda ſit.

2. *In rebus ipſis.* Sin ſtatus in rebus ipſis formetur; tunc nõ eſt quęſtio an corpus & ſanguis Domini, acceptus, iuxta eius inſtitutionem, pane & vino, verè percipiantur ab vtentibus? Id quod vtraque pars agnoſcit. Verum is eſt ſtatus: An corpus & ſanguis Domini, in, cum, ſub illis ſymbolis adſint corporaliter, licèt inuiſibili & incompræhenſibili modo? Item, an ore corporis illa ſumantur tam ab infidelibus quam credentibus, qui accedunt? Nam hoc volunt, qui corporalem præſentiam è Papatu hauſtam retinent: cæteri verò pernegant.

Cur non recipienda corporalis præſentia? Sunt autem plures cauſſæ cur pręſentia corporalis & manducatio oralis (vt vocant) recipienda non ſit.

1. Et *prima* quidem, iterum complectitur omnes

mnes eas rationes, quas in genere cõtra præſentiam corporalem, iam antè produximus. Quas prolixius hîc repetere non eſt neceſſe. Scimus enim iſtam pugnare contra analogiã articulorũ fidei; & numerari à Chriſto inter vltimi temporis errores; nec cum veritate corporis Chriſti poſſe cõſiſtere; quẽadmodũ nec vllo Scripturę apice confirmari poteſt; pręterquam quod & anſam iſta opinio prębuerit artolatriæ & verum Cœnę vſum penitus obſcurauerit, pluribusque erroribus ceu feneſtram aperuerit ab orco reuocãdis.

Secundam rationem addimus hanc, quod iſta interpretatio verbis Cœnę neutiquã cõueniat. Siquidẽ pronomen demonſtratiuũ, *Hoc*, de pane porrecto loquitur, non de corpore inuiſibiliter, in, cum, ſub pane, latitante. Deinde nec vocula, E s t, per *adeſt*, *ineſt*, vel *ſubeſt*, vllo modo tolerabili, explicari poteſt. Nec deniq; panis & corpus, tanquã res diſparatę, in prædicamento ſubſtantiæ, corporaliter & identicè de ſe inuicẽ propriè dici poſſunt. Quia corpus, nõ eſt genus, nec ſpecies, nec differentia, neque proprium aut accidens, panis. Vice verſa, nec de corpore propriè dici poſſunt, quæ ſunt panis: vt è frumẽto factum, arte piſtoria coctum, confringi, dentib. conteri, per os in ventriculum tranſire, &c. Nec pani ꝓpriè cõueniunt, quæ ſunt corporis Domini, vt cõceptũ eſſe de Spiritu S. natum ex Maria virgine, & ſymmetriã habere mẽbrorũ, mortuũ itẽ, & reuixiſſe, &c.

Huc accedit quod corpus, ſi prædicatur de pane propriè; aut identicè, aut diuerſimodè prędicetur. Non autem identicè; quia panis & corpus reipſa differunt, nec ſunt termini conuertibiles, neque etiam panis deſinit eſſe panis in hac prædicatione: Sed neque diuerſimodè: quia neque eſſentialiter (vt antè dictum) nec accidentaliter. Et quidem eſſentialem ſeu propriam prædicationem, illimet ipſi eo euertunt, quod *in, cum, ſub pane* (præter & contra Cœnæ verba) Chriſti adeſſe corpus, contendant. Quo ſanè fatentur, panem non propriè ipſum eſſe corpus Domini.

3. *Tertia* cauſſa eſt, quod ſectatores iſtius interpretationis, inter ſeſe ipſimet diſſideant: dum alii affirmant, de pane prædicari quod ille ſit corpus Domini, & quidem idēticè, vt Lutherus, Heshuſius ac ſimiles: alii de pane, & ſimul corpore Domini, in, cū, ſub pane, dictum eſſe, *Hoc eſt corpus meum*: ſtatuunt, vt Iacobus Andreæ cum ſodalibus: alii ſentiūt, virtute verborum conſecrationis loco, recitatorum, adeſſe corpus Domini, alii denique idem pernegant. Rurſus alii diſputāt adeſſe per præſentiam pluribus in locis: alii, per corporis quandam vbiquitatem, ſed inuiſibilem, in omnibus creaturis, &c.

4. *Quartò*, recedit iſta interpretatio, à vero & vſitato omnium phraſeon ſacramentaliū ſenſu; ad prædicamentum ſubſtantię detorquens, quod relatè dictum eſt.

Quin-

Quinto, fingit iſta interpretatio nouum & inauditum modum, ore corporis, etiam ſine fide, Chriſtum apprehendendi: qui toti eſt Euangelio contrarius. 5.

Sexta cauſſa eſt, quod eadem falſa interpretatio, bona Teſtamenti Chriſti ad illegitimos hæredes trāsferat: corporis & ſanguinis eius, manducationem & bibitionem impiis & hypocritis tribuens: quam ſolis inſtituit & promiſit piis atq; veris diſcipulis ſuis Chriſtus. Qua in parte manifeſta cōmittitur falſatio. 6.

Septimam adiungimus cauſſam, quod iſta expoſitio verborum Cœnæ, corruptę rationis humanæ officinam, ab omni parte, reſipiat, redoleatque: veniens contra Scripturā & Symboli Apoſtolici, articulos, de incarnatione Chriſti & aſcenſione eius in Cœlū. 7.

Econtrà, expoſitio verborum Cœnæ orthodoxà omninò eſt, quę ſpirituale carnis & ſanguinis Chriſti, tum pręſentiam tum cōmunionem, agnoſcit, fideli corde percipiēdam: ac proinde impios, cum orali eſu bibitioneque corporis & ſanguinis Domini, ab hac ſacrę Cœnæ communione, reiicit.

Argumenta pro ſpirituali præſentia confirmanda, quatuor claſſibus diſtincta.

Quod omne ſequentibus confimatur argumentis inuictis & irrefragabilibus:

1. Quia verba Cœnę hanc ſententiā comprobant.

2. Quia Chriſtus ipſe *Iohan.6.* & Paulus Apoſtolus 1 *Cor.*10. *&* 11. eandem tradunt.

3. Quia articuli ad ſtipulátur Symboli Apoſtolici articuli.

Digitized by Google

4. Quod accedat inſuper orthodoxę antiquitatis conſenſus & ſuffragium.

I. Claſſis. Intueamur autem primo loco, ipſa Cœnę verba, & quem illa ſuppeditant ſenſum.

Principiò, verba Cœnę inſtitutionis & ordinationis verba ſunt: nõ alicuius nouę creationis, aut humanę conſecrationis, vt iis prolatis efficiat ſacramentum ſacerdos. Quo minus de ſubſtantiali prędicatione accipienda veniunt; ſed potius relatione & nouo rei, vſu: Ita panis dicitur *corpus Chriſti*, non quod illud ipſum ſit, ſed quod in ſacra hac actione eum habeat nouum vſum, vt ſit credentibus communio corporis Chriſti.

Deinde, Chriſtus ipſe notis euidentibus corpus & ſanguinem ſuum, à pane & vino, diſcernit: dum panem fractum quidem ac poſteà vini poculum diſcipulis porrigit: verum de corpore & ſanguine ſuo, diſertè inquit: *Quod pro vobis traditur & effunditur in remiſſionem peccatorum.* Quorum nihil pani aut vino conuenit. Non ergo res diuerſæ, niſi ſacramentaliter (vt de ſigno res ſignata) prædicari dicivè de ſe inuicem poſſunt.

Tertio panis aliter non eſt corpus Domini in Cœna, quam & poculum ſit ſanguis eius. Atqui Lucas & Paulus, illa verba (*Hoc eſt ſanguis meus*) ſic reddunt: *Hoc poculum eſt nouum Teſtamentum in ſanguine meo.* Quę loquendi ratio nihil minus, quam corporalem vnionem poculi & ſan-

& ſanguinis indicat: ſiquidem figurata & mere Sacramentalis eſt. Quomodo enim poculum eſt nouum Teſtamentum; niſi quatenus externum illius eſt ſignaculum. Nam Teſtamentum nouum eſt fœdus gratię, nempè remiſſio peccatorum propter ſacrificium Chriſti in cruce peractum, ſeu (quod perinde eſt) per ſanguinem eius. Eodem igitur modo, & panis eſt corpus Chriſti, quia ſignaculum atque teſtimonium eſt corporis Chriſti in cruce pro nobis traditi.

Quarto, Niſi verba Cœnę, vti iam dictum eſt, intelligãtur, ſed ad corporalem aliquam corporis Chriſti cum pane & ſanguinis eius cum poculo coniunctionem & vnioné trahantur, horribilis & abſurda ſequetur, corporis & ſanguinis Domini diſtractio. Nã de pane ſeorſim (nõ de poculo) Chriſtus dixit: *Hoc eſt corpus meum*. Similiter de poculo ſeorſim (non de pane) *Hoc eſt ſanguis meus*.

Quod ſi igitur corporalis vnio ſtatuatur: exſangue corpus, in, cum, ſub pane dabitur; & ſanguis absq; corpore, in, cũ, ſub poculo. Neq; enim plus minusvè percipi poteſt, quã Chriſtus promiſerit: nec inuehenda concomitantia papiſtica. Nec denique hęc abſurditas, niſi per Sacramentalem intellectũ rei ſignatæ de ſignaculo externo prędicatæ, euitari poteſt

Quinto huc etiam facit, quod Chriſt⁹ Dominus in prima Cœna, corporaliter adhuc præſens, nuſquã in pane tamen corp⁹ ſuum,

Digitized by Google

ſed in cœna certo ſedens ac permanẽs loco, pane quidem corporaliter exhibito, ſacramentaliter ac ſpiritualiter corpus ſuū dedit. Quãto minus ergo, corporaliter iam abſẽs, poſt aſcenſionem in cœlum, corporaliter illud exhibebit: aut alia quam Sacramentali ac ſpirituali ratione? Neque enim in prima illa Cœna, modus ille dexteræ Dei (quẽ nuper aliqui excogitarunt) locum habere potuit: quia tunc temporis, necdum glorificatum, ſed mortale adhuc corpus Chriſti erat. Solus igitur reſtat modus Sacramentalis; qui verum Cœnæ intellectum ſuppeditat & vſum.

Sexto, ſi corporaliter Chriſtus adeſſe voluiſſet: quorſum ſui memoriã, donec redeat, inſtituiſſet? *Hoc facite*, inquit, ***ad mei commemorationem.***

Tantum de verbis Cœnæ.

II. Argumẽtorum claſſis. Porrò verò ex capite ſexto Iohannis, idem ſenſus euincitur. Neque enim in Cœna aliud corpus aut ſanguinem Chriſtus dat, quã de quo & *Io. 6.* loquitur. Nec ſanè aliũ vſquã eius percipiendi modum vel in Cœnæ verbis vel alibi, tradidit, quam illic. Atqui ſpiritualiter per fidem, ſe & præſentem fore, vt maneat in nobis & nos in ipſo, docet: Spiritualiter ac myſticè carnem ſuam vocat panẽ: ſpiritualiter docet per fidem accedere ad ſe & manducare atque bibere, *v.* 4. 5. 15. 63. 56. *&c.* Non aliter ergo & in Cœna, de præſentia, eſu ac bibitione corporis & ſanguinis Domi-

Domini ſtatuendum. Quò accedit, quod cuncti priſci & orthodoxi patres vnanimi omnes conſenſu caput ſextum Iohannis de Cœna interpretati ſint. Nec impedit quod cæremoniam externam Cœnæ, ibi Chriſtus non inſtituerit: nam de Baptiſmo etiam verè intelligi locus *Iohan.* 3. poteſt ac debet, licèt neque illic cæremonia Baptiſmi ſit inſtituta, ſed res tantum interna & myſterium declaretur. Simile igitur eſto de Iohannis ſexto capite, myſterium Cœnæ continente & explicante, iudicium.

Concordat etiam Paulus, qui à Domino acceperat quod de ſacra Cœna Corinthiis totique Eccleſiæ tradidit: quo minus de interpretatione ab ipſo allata, dubitandū eſt. Is autem verba Cœnæ ſic explicat, vt ad ſacramentalem ſignificationem & vſum ea referat, non ad corporalem præſentiā. Etenim pro eo, quod *panis corpus & poculum ſanguis Domini* dicitur, ipſe ait, *eſſe communionem corporis & ſanguinis Domini.* Scimus aūt aliud, ipſum eſſe corpus Chriſti, aliud item, illius communionem. 1. *Cor.* 10. *ver* 16. 17. Nec verò aliter communio illa perficitur, quam Spirituſancto & fide, ſicuti Chriſtus in nobis eſt, & nos in ipſo, *Iohan.* 6. Nec vlla reperitur alia communionis huius ratio in tota Scriptura. Quinetiam docet Apoſtolus hanc ipſam 2. Cor. 13. inquiēs: *Vos ipſos tētate annō ſitis in fide, vos ipſos probate: annō agnoſcitis voſmet ipſos, quod Ieſus Chriſtus ſit in vobis? Niſi*

reprobi eſtis. Et quid eſt aliud, quam hęc eadẽ ſententia, quando Apoſtolus ait, *Eph. 3. Det vobis pro diuite ſua gloria, vt fortiter corroboremini per Spiritum ſuum in homine interiore: vt inhabitet Chriſtus per* FIDEM *in cordibus veſtris?* Ac de Cœna 1. *Cor*, 11. expreſſe idem Apoſtolus dicit: *Quoties comeditis panem hunc & bibitis poculum hoc, mortem Domini annũciabitis, donec veniat*. Id quod neutiquam conſiſteret, ſi adeſſet corporaliter. Tunc enim dicendum erat: *donec adeſt*: non, *donec veniat*. Loquitur autem Apoſtolus de corporali & glorioſo Domini reditu ad iudicium.

Nunc de articulis fidei: è quibus Cœnæ intellectus ſpiritualis probatur trifariã. *Primo*, ex conceptione ac natiuitate Domini. Neq; enim angelos aut ſpiritũ, ſed Abrahæ ſemen Chriſtus aſſumpſit; verum vtique corp⁹ humanum, non inuiſibile, impalpabile aut vbiquitarium aut impanatum; ſed membrorum diſtinctorum conſtans ſymmetria.

III. Claſſis Argumentorum.

Deinde, ex viſibili eius in cœlũ aſcenſione ac reditu ad iudicium. Nam euexit corpus ſuum verè ex hoc mundo in cœlum; non reditur⁹ corporaliter ante diem nouiſſimum, Matth. 24. Act. 1. & 3. Noluit ergo in pane Cœnę corporaliter adeſſe, nec vſquam alibi: expreſsè prohibens, non eſſe credendum, ſi quis dixerit, *hîc aut illic eum in hoc mundo eſſe, antequam redeat ad iudicium*. Præſentiam interim ſuam, per Spiritum ſanctum & fidem

Digitized by Google

ſidem, Eccleſiæ pollicitus eſt, *Matth.* 18.28. *Iohan.* 14. *Epheſ.* 3. *Hebr.* 13. Cyrillus in Iohan. lib. 10. cap. 18. *Nullus ambigit, eum ad cœlos aſcendiſſe; & quamuis virtute ſemper affuerit, præſentia tamen carnis abſuiſſe.*

Tertio, è ſeſſione eius ad dexteram Patris, eâdem ſententiâ euincitur. Quæ quidem eius exaltatio, & gloriam donorum inenarrabilem & pleniſſimi regiminis atque imperii ἐξουσίαν (non carnis vbique pręſentiam) denotat. Sedet autem Chriſtus in carne ad dexteram Dei in cœleſtibus; non in his terris, nec in pane Euchariſtico.

IIII. Claſſis argumentorum.

Atque hoc modo ſancti Patres orthodoxi, tam perſpicuè verba Cœnę interpretati ſunt, vt mirum ſit ab illorum potuiſſe veſtigiis recedere ac deflectere, qui tamē in Iure Canonico de conſecratione, verba ac dicta illorum recitant, ſpiritualem ſenſum penit⁹ & quam manifeſtiſſimè confirmantia.

Irenęus *libr.* 4. *cap.* 34. ait: *Qui eſt a terra panis percipiens vocationem Dei, iam non communis panis eſt, ſed Euchariſtia, ex duab. reb. conſtans, terrena ac cæleſti. Quibus verbis diſtinctas res, in Cœna, agnoſcit.*

Iuſtinus Martyr in Colloquio cum Tryphone Apol. 2. *Panem Euchariſtiæ, nobis,* ait, *commendatum eſſe ad recordationem paſſionis Chriſti.*

Tertullianus lib. 4. contra Marcionem: *Acceptum panem & diſtributū diſcipulis, corpus ſuū, illum fecit: Hoc eſt corpus meū dicēdo:*

Digitized by Google

id eſt, figura corporis mei. Origenes in cap. 26. Matthæi: *Panis iſte quem Deus verbum, corpus ſuum eſſe fatetur, verbum eſt nutritorium animorum.*

Cyprianus Serm. de Chriſmate: *Eo modo panem & vinum carnē & ſanguinem Chriſti, eſſe dicit, quo ſignificantia & ſignificata, iiſdem vocabulis cenſentur.* Idem Serm. de Cœna: *Hæc quoties agimus, non dentes ad mordendum acuimus, ſed noſtra in ipſo manſio, eſt manducatio, & potus, quaſi quædam incorporatio.*

Hieronymus in cap. 26 Matthęi: *Chriſtus accepto pane, dixit: Hoc eſt corpus meum, veritatem corporis ſui repræſentans.*

Ambroſius de iis qui initiantur, cap. 9. *Pane,* ait, *corpus Chriſti ſignificari.* Et de Sacram. lib. 4 cap. 8. *Panem & poculum, dicit, figuram corporis & ſanguinis Chriſti, eſſe.* Item lib. 6. cap. 1 *In ſimilitudinem accipis Sacramentum; ſed veræ naturæ gratiam virtutemque conſequeris.* Et in 1. Cor. 11. *In typum ſanguinis,* inquit, *calicem myſticum ſumimus, ad tuitionem corporis & animæ.* Chryſoſtomus opere imperfecto in Matthęum, Homil 1;. *In vaſis,* ait, *ſanctificatis, non verum corpus, ſed corporis Chriſti eſt myſterium.* Idem alibi, *panem & poculum vocat ſymbolum & ſignum & exemplar & ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti.* In Matth. Homil. 83. Ad Hebr. Hō. 17. Item in Pſalm. 22.

Gre-

Digitized by Google

Gregorius Nazianzenus in Apolog. in Epith. Cæſarii, *panem*, vocat, *corporis Chriſti ἀντίτυπον*.

Auguſtinus Pſal. 3. ait: *Dominum in Cœna corporis ſui figuram diſcipulis commendaſſe*. Et contra Adimantum Manichęum, cap. 12. inquit: *Non dubitauit Dominus dicere, Hoc eſt corpus meum, cum ſignum daret corporis ſui.* Contra Maximin. libr. 3. cap. 22. *In Sacramētis, non quid ſint, ſed quid oſtendant, ſemper attendi: quia ſigna ſunt rerum aliud exiſtentia & aliud ſignificantia.* In ſententiis Proſperi hęc leguntur: *Cæleſtis panis qui eſt Chriſti caro, ſuo modo nominatur corpus Chriſti, cum reuera ſit Sacramentum corporis Chriſti, vocaturque ipſa immolatio carnis, quæ Sacerdotis manibus fit. Chriſti paſſio, mors, crucifixio; non rei veritate, ſed ſignificante myſterio.* In Iohan. 26. *Hoc eſt manducare illam eſcam & illum bibere potum, in Chriſto manere & illum in ſe manentem habere.* Tract. 59. ait; *Cum reliqui diſcipuli manducarent panem Dominum: Iudam manducaſſe panem Domini contra Dominū: illos vitā, hunc pœnā.* De verbis Apoſtoli Serm. 2. *Illud manducare, eſt refici, illud bibere quid eſt, niſi viuere? Tunc autem corpus & ſanguis Chriſti erit vita cuique, ſi quod in Sacramento viſibiliter ſumitur, in ipſa veritate ſpiritualiter manducetur & bibatur.*

Theodoretus Dial. 2. *Voluit ſeruator Sacramentis vtentes, non intentos eſſe in naturam eorum quæ cernuntur: ſed per nominum per-*

Digitized by Google

mutationem, credere ei, quæ ex gratia facta eſt, permutationi. Qui etiam naturale corpus triticum & panem appellauit: & rurſus ſeipſum vitam nominauit: is viſibilia ſymbola, corporis & ſanguinis appellatione honorauit: non mutans naturam, ſed gratiam naturæ adiiciens.

Gelaſius contra Eutychen: *Imaginem, dicit, & ſimilitudinem corporis & ſanguinis Chriſti, in actione myſteriorum, celebrari.*

Beda in Lucam: *Chriſtus pro carne & ſanguine agni, ſuæ carnis ſanguiniſque Sacramentum, in panis & vini figura, ſubſtituit.*

Bertramus, mandatu Caroli Calui, iuſtum de cœna Domini edidit libellum, quo veram Cœnę ſententiam prolixè declarat. Et inter cętera dicit: *Corpus Chriſti, quod in Eccleſia per miniſtrum geritur ſecundum quēdam modum corpus Chriſti eſſe, cognoſcitur: & modus iſte in figura eſt & imagine.*

Ex hiſce itaque vniuerſis liquet, non de corporali pręſentia, aut prædicatione identica, ſed myſtica & Sacramētali ratione, ſpiritualiter, verba Cœnæ intelligenda eſſe; non quod panis ipſum ſit corpus Chriſti, ſed eius tamen communio fidelibus, quia corporis Chriſti pro nobis traditi Sacramentum eſt, atque teſtimonium. Quod ſimiliter de poculo ſentiendum.

V. De

V. *De manducatione ſeu fruitione Cœnæ: ac de manducatione indignorum.*

Duplex eſt ratio percipiendi Cœnam Dominicam; aut rerum externarum, vt ſunt panis & vinũ, aut rei internæ, corporis videlicet ac ſanguinis Domini. Illa fit ore corporis naturaliter, Matth. 15. verſ. 12. Marci 7. v. 19. Hęc autem, fit intus in corde, per Spiritum ſanctum & fidem. Iohan. 6. verſ. 35. 56. Epheſ. 3. verſ. 17. 2. Cor. 13. verſ. 5. Atque hæc ipſa eſt *communio illa* (quam Paulus vocat) *corporis & ſanguinis Domini*, per externam Cœnæ actionem, piis promiſſa & confirmata. Eſtque pręcipuum ſacrę Cœnę myſterium. 1. *Cor.* 10. *verſ.* 16. Sine hac rei internæ ſumptione, Cœnę actio nõ ſolum nihil prodeſt, verumetiã reos peragit corporis & ſanguinis, manducantes ac bibẽtes panem hũc & poculũ hoc, ſicut Paul⁹ loquitur, 1. *Cor.* 11.

Manducatio oralis externa.

Probatur autem hæc vera & vnica rei internæ perceptio, ſeu manducatio ac bibitio, hoc eſt fruitio, ſequentibus hiſce rationib⁹.

Manducatio interna cordis.

Primo, quod hanc ſolum ſui corporis & ſanguinis mãducationem Chriſtus tradiderit *Ioh.* 6. *verſ.* 35. &c.

Secundo, quod per os externum nil ingrediatur in cor, teſte Chriſto *Marci* 7. ipſe verò habitet in cordibus fidelium, Epheſ. 3.

Tertio, quod in fide eſſe, & Chriſtum in ſe manentem habere, pro vno & eodem ſumatur *Iohan.* 6. *verſ.* 56. & 2. *Cor.* 13. *verſ.* 5.

Probatur ſeptem rationibus interna cordis per S. S. & fidem manducatio.

Quarto, ꝙ eãdẽ rationẽ Chriſtus innuat

Digitized by Google

& confirmet, quandò ait Matth 5. *Beati qui eſuriunt ac ſitiunt iuſtitiam, quoniam illi ſaturabuntur*. Quod ſic patet: quia iuſtitia, extra communionem carnis & ſanguinis Chriſti, corã Deo nulla eſt; nec fames ac ſitis iuſtitię, ſedari aut extingui poteſt oris externi mãducatione vel bibitione, ſed ſolius eſu ac potu cordis, per fidem, in communione corporis & ſanguinis Chriſti facto.

Quinto, quod Chriſtus nullo opere externo operato percipiatur; ſed ſola duntaxat fide. Et quicquid ſine hac fide fit, peccatum eſt, *Rom*.14.

Sexto, quod neque in verbis inſtitutionis, nec vſquam alibi in tota Scriptura, alium edendi corpus ſuum & bibendi ſanguinẽ ſuũ, docuerit.

Septimo, quod ſancti Patres poſt Apoſtolos eodem modo rem intellexerint & explicuerint. Cyprianus enim de Cœna Domini ſermone, inquit: *Eſus huius carnis quædam auiditas eſt & quoddã deſiderium in ipſo manendi*. Item, *quod eſca corpori, hoc animæ fides*. Et Bernhardus Serm. 3. in Pſalmos: *Quid eſt manducare carnem Chriſti, niſi participare paſſionibus eius?*

Diluti o obiectionum pro manducatione orali.

1. *Obiicitur*. Chriſtũ, quãdò porrecto pane, inquit: *Accipite, mãducate*, &c. eãdẽ reqrere externã ſumptionem oris, tam ad corporis & ſanguinis ſui, quam ad panis & poculi fruitionem. Sed iſta eſt opinio præcõcepta, quæ extrui è verbis Chriſti nullo modo poteſt. Nec

Digitized by Google

Nec ſanè eſus & potus ad carnem & ſanguinem Chriſti accõmodatus, ita intelligendus eſt, vt pani & poculo applicatus; quia res & in ſeſe toto ſunt genere diuerſæ, & ratio ſumẽdi hãc aut illã diuerſiſſima. Alioqui os externũ ſimul naturaliter & ſupernaturaliter, ſimul viſibiliter & inuiſibiliter veſceretur: qđ Chriſtus *Marc.* 7. apertè negat. Satius eſt igitur ex ore Chriſti depẽdere, ſpiritualẽ edẽdi & bibẽdi carnis ſuę & ſanguinis rationẽ docentis *Iohan.* 6. quam ſequi ingenioſè excogitatum rationis humanæ commentum.

Inſtantia. Chriſtus panem porrectum, quem dicit eſſe corpus ſuum, iubet edere Id autem non niſi ore corporis perficitur. Iubet ergo ore corporis externo (quantumuis inuiſibiliter) corpus ſuum edere. Reſpondetur. Cum Chriſt⁹ ait: *Edite, bibite,* res porrigit externas naturaliter ore corporis percipiendas, panem videlicet fractum & vini poculum: quođ negari non poteſt. Quãquã verò myſterium eius eſus & bibitionis adiicit, inquiẽs: *Hoc eſt corpus meum, hoc eſt ſanguis meus*: ex eo tamẽ haudquaq̃ conficitur, eodem ſumi modo corpus & ſanguinẽ Domini, quo res externę. Aliud enim denotat manducatio ad corpus Domini, aliud item ad panem accommodata. Nec verò Chriſtus dicit, *Accipite & comedite corpus meum*: ſed hoc, *id eſt, panem, qui ſit corpus eius,* videlicet ratione ſacramentali, vti dictum ſuperius. 2.

Digitized by Google

Eſt igitur ęquiuocatio, in voce *edēdi*, & *bibendi*: quam longè aliter de ſua carne & ſanguine ſuo Chriſtus interpretatur *Iohan*. 6. aliter itē de reb⁹ externis *Matth*. 15. *Marci* 7.

Indignè mā-ducantes. Sequitur iam de manducantibus indignè, ſicuti loquitur Apoſtolus. Vbi magna opus eſt diſtinctione. Neque enim indignè manducantes vnius ſunt generis: quemadmodum nec eadem iſtorum ratio manducandi ac bibendi.

Duplex indignè manducantium genus.

1. *Indignitas incredulitatis.* Primo indignè manducant, omnes increduli impœnitentes & hypocritę. Qui licet accedant ad menſam Domini, & externum, ore manuque, ſacramentum percipiant, edentes panem hunc & bibentes poculum hoc (vt Paulus diſertè ait) attamen propter indignitatem incredulitatis, ad rem ſacramenti, hoc eſt, corporis & ſanguinis Domini communionem, neutiquam pertingunt, vita ęterna ſe reddentes indignos. *Act*. 13. De iſtorum iudicio non Paulus propriè loquitur 1. *Cor*. 11. ſed Chriſtus *Iohan*. 3. *verſ*. 18. 36. *Et Iohan*. 6. *verſ*. 53. *Niſi ederitis carnem filii hominis & biberitis eius ſanguinem, non habetis vitam in vobis.*

2. *Indignitas vocationis.* Deinde alii ſunt indignè māducantes, reſpectu vocationis, dū eā nō ſatis expendunt, nec donum Dei ſat pretioſè ęſtimant, neq; corpus Domini nec ſeipſos diiudicātes: qui non tamen vel increduli ſunt vel hypocritę, vt iſti. Atque hi quidem, tametſi non ore tātum corporis, externa ſiue elementa ſiue ſigna

gna percipiunt,ſed etiam fide carnem &ſanguinem Domini: propter oſcitantiam tamẽ & ſecuritatem, vocatione ſimul ac re tanta indignè agentes, pœnis tẽporalis iudicii exercẽtur atq; mulctantur: non autẽ ad interitũ animę. Incidunt ergo in iudicium, nõ quidẽ condemnationis ęternę; ſed caſtigationis tẽporalis, per morbos ac mortem ipſam; nõ tamẽ niſi temporaneam. De hiſce Paulus nominatim: *Nam qui indignè edit & bibit, iudicium ſibi edit & bibit, non diiudicans corpus Domini. Propterea,* inquit, *inter vos multi ſunt debiles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim ſi nos ipſos diiudicaremus, non iudicaremur. Sed, cũ iudicamur, à Domino corripimur, ne cũ mundo condemnemur.* 1. Cor. 11. Sic virgines prudentes, vnà cum ſtolidis dormituriebant & obdormiebãt; ſed inſtructas interim lampadas habentes, nihilominus ſeruabantur. *Matth.* 25.

Indignè mãducantes per incredulitatem nõ habent communionem corporis & ſanguinis Domini.

Quod autem indignè manducantes, qui increduli, impœnitentes & hypocritæ ſunt, res tantũ in Cœna externas percipiant; non autẽ veſcãtur ipſa carne Chriſti nec sãguinẽ eiꝰ bibant; rationes reddi poſſunt manifeſtę.

Primo, enim, non ſunt iſti veri hęredes Teſtamenti Chriſti; nec eis quicquã vel in verbo vel in Sacramẽtis à Chriſto promiſsũ eſt. Proinde neq; tantarum poſſunt eſſe rerum capaces.

Secundo, carnem iſti fide, quod eſt os cordis & animæ: quo minus oblatum panẽ vitę, Chriſtum Dominum, percipiant.

Tertio, deſtituti fide, per incredulitatem & impœnitentiam ipſa vita æterna indigni, etiamſi accedunt: non tamen niſi iudicium condemnationis ſibiipſis accerſunt edentes ac bibentes. Quod nequaquã fieret ſi Chriſtum perciperent: tunc enim viuerent per ipſum. Colligitur ergo ab effectis, non eos *manducare ac bibere carnem & ſanguinem Domini*: ſed, *panem Domini* (vt inquit Auguſtinus) *contra Dominum*. Vnde idem in Iohan. Tract. 26. ait: *Sacramẽtum à quibuſdam ad vitam ſumitur, a quibuſdam ad exitium: res verò ipſa, cuius eſt Sacramentum, omni homini ad ſalutem, nulli ad exitium, quicumque eius particeps fuerit.*

Quartò, exemplum Iudæ oſtendit in corda hypocritarum & impiorum, non ingredi Chriſtum, ſed Satanam: inter quem & Chriſtum nihil prorſus eſt commercii. 2. Cor. 6.

Quinto, Chriſtus ipſe ait, *ſanctum non eſſe dandum canibus, nec margaritas ante porcos proiiciendas*. Matth. 7. Quo ipſo, impii arcẽtur & excluduntur à communione corporis & ſanguinis Domini.

Sexto, Auguſtinus in Iohann. Tract. 26 & de Ciuitat. Dei lib. 21. cap. 25. ſcribit, *eos, qui non manent in corpore Chriſti, compage videlic. ſpirituali, & in quibus ille non manet, non dicendos eſſe, manducare carnem Chriſti & bibere ſanguinem eius, etiamſi carnaliter & viſibiliter Sacramentum corporis & ſanguinis eius dentibus premant.*

Septi-

Septimo, refertur hìc ex Auguſtana Confeſſione, de Miſſa: *Cæremonias noui Teſtamẽti ſine fide opus eſſe mortuũ*: Atqui opere mortuo carnem & ſanguinem Domini percipere, nemo poteſt: Eſt enim fidei viuæ negotium. Nemo igitur ſine fide corpus & ſanguinem Domini participat.

Obiicitur: Qui indignè manducant, manducando rei fiunt corporis & ſanguinis Domini; non vtique ſine corpore & ſanguine eius. Ergo illud manducant ac bibunt. Anteà dictum eſt, de indignitate duplici, ac duplici etiã tum reatu, tum iudicio; quod initio hìc venit repetendum. *Deinde*, ſi de incredulitatis indignitate ſermo ſit; manducando panẽ hunc & poculum hoc, id eſt externũ Sacramentum (non rem Sacramenti internam) rei fiunt: & quidem rei corporis ac ſanguinis Domini, non tamen percepti, ſed per incredulitatem repudiati. Quemadmodum rei fiebant primi parentes noſtri, manducando ex arbore prohibita, legis diuinę, ſed nõ ſeruatæ illius, verum neglectæ; ac proinde rei mortis & ęternę condemnationis. Eſt autem longè aliud *corporis & ſanguinis Chriſti reum fieri*: quam illud, *manducare & hunc bibere*. Qui enim carnem Chriſti manducat & ſanguinem eius bibit, ab omni reatu abſoluitur & vitam conſequitur æternam, ne veniat in iudicium, *Iohan. 6.*

Dilutio obiectionũ pro manducatione infidelium.

Digitized by Google

VI. DE FINE & *vſu ſacra Cœna.*

Vt perſpicuè Cœnę finis & vſus intelligatur, iterum, externa Sacramẽti actio, diſcernenda eſt à myſterio, ſeu ipſa re interna, quę eſt corpus & ſanguis Domini eiuſdemq; cõmunio; alius .n. huius, alius itẽ illius eſt vſus.

Externa Cœna actio triplicem habet vſum.

Actio externa triplicẽ habet vſũ; nempè cõſolationis, gratiarum actionis & commonefactionis.

I. *Conſolatio.*

Conſolationem hæc præſtat actio; *primum*, quia ſigillum eſt confirmans vtentibus gratiam fœderis noui Teſtamenti, de vera cum Deo, per mortem Chriſti reconciliationę.

Deinde obſignat piis communionẽ corporis & ſanguinis Chriſti; vt ſciãt, ſe in Chriſto manere, & ipſum in eis; nec ab eo, in ęternũ deſerẽdos eſſe, vel auulſum iri; ſed ſpiritu ſancto adiuuãte, ad finẽ vſq; perſeueraturos.

Tertio, hac actione, opponitur memoria mortis Domini, tãquam certum antidotum & præſens remedium, tentationibus noſtræ indignitatis, peccatorum & mortis ęternęq; condemnationis. Quorum omnium expiatio & victoria, in morte Chriſti, nobis per actionem & vſum Cœnę commonſtratur.

2. *Gratiarum actio.*

Ad gratiarum porrò actionem, plurimũ etiam externus Cœnę vſus facit. *Primo*, quia publica eſt confeſſio, partim culpæ noſtrę & reatꝰ, partim Chriſti meritorũ. *Deinde*, quia manifeſta inſup eſt fidei Chriſtianæ ꝓfeſſio, cui nos adhærere, accedendo teſtificamur. *Rom.* 10. *Philip.* 2. *Tertio*, eſt inſuper publica

reſipi-

reſipiſcentiæ teſtificatio. *Quarto*, declarant communicantes eam eſſe veram & germanam Chriſti Eccleſiam, cũ qua in vſu Cœnæ ſeſe coniungunt. *Quinto*, obſtringunt illi ſe ad debitam Chriſto & ſacro eius miniſterio, totique cœtui Eccleſiaſtico, obedientiam, 1. *Cor*. 10. *verſ*. 11. *c*. 11. *verſ*. 17. 22. 33. ❡ Eſt deniq; Cœna Domini admonitoria officii piorum. 3. *Commonefactio.*

Nam *primo* quidẽ mortis Chriſti memoria, *annunciata donec veniat*, ad obſequium cultus diuini pios excitat, itemque ad fidem ac bona opera, ad vocationis obeundæ diligentiam, adeoque patiẽtiam & perſeuerantiam in cruce, *Deinde*, eosdẽ exſtimulat, eũdem panẽ participantes & admonitos eiuſdem ſe corporis eſſe membra, cuius caput ſit Chriſtus, ad mutuã charitatem ac dilectionẽ fraternam, adeoque ad miſericordiæ Chriſtianæ pręſtanda opera. Quô pertinent illa:

1. Vera dilectio & cõmiſeratio *Lucæ* 6. *Io*. 13.

2. Mutua iniuriarum & offenſarum condonatio, *Coloſſ*. 3.

3. Mutua ad pietatem cohortatio. *Hebr*. 3. *Matth*. 18.

4. Eleemoſynę, mutuũ ſubſidium, ſalubria conſilia, viſitatio, cõſolatio, recreatio & erectio afflictorũ, captiuorũ, viduarũ, orphanorũ, peregrinorũ, pauperũ, ægrotantiũ, &c. omniſq; generis beneuolẽtia & beneficẽtia, erga proximum. Vnde Cœna dicta fuit antiquitus ἀγάπη.

5. Honeſtatis & pietatis exẽpla, p̄ vitãdis ſcandalis & ædificando proximo, 1. *Cor*. 10. 11.

Vſus interni Cœnæ myſterii. Iā ad rem internam ac Cœnæ Dominicæ myſterium: cuiꝰ certe vſus idem eſt prorſus, qui totius Euangelii & fœderis gratiæ: conſiſtit enim in communione corporis & ſanguinis Chriſti. Teſtificatur namque, Ieſum Chriſtum noſtrum eſſe totum, & nos viciſſim illius: quodque ſua ille morte nos redemerit, & corpore ſuo atque ſanguine, in cruce pro nobis tradito & effuſo, tanquam vero animarum cibo & potu, nos paſcat & ſuſtentet ad vitam ęternam, famem ac ſitim iuſtitiæ in conſcientiis noſtris ſedans atque reſtinguens: ac denique quod in ipſo habeamus remiſſionem peccatorum, iuſtitiam, Spiritum ſanctum, reſurrectionē à mortuis, & vitam ęternam.

Ne verò quis ocioſum hoc eſſe putet, cū idem extra Cœnæ vſum & fides Euangelii præſtet: ſciendum porrò, efficacius hìc noſtræ imbecillitati ſubueniri. Quemadmodū enim Baptiſmate plenius erudimur & confirmamur, quod membra ſimꝰ Chriſti & Eccleſiæ, per Spiritum ſanctum & fidem, renati, adeoque filii & hęredes Dei: Sic altero etiam noui Teſtamenti Sacramento, hoc eſt, Cœna Domini, tanquam fœderis gratiæ ſignaculo atque teſtimonio, vberius de communione corporis & ſanguinis Domini edocti, adeoque certiores facti, magis magiſque in eâdem fide conſtabilimur atq; cōſolidamur, vt ſciamus nos ab ipſo & gratia eius nun-

nunquam eſſe diuellendos: dicente ipſo, *Hoc facite in mei commemorationem.*

VII. De probatione ſuiipſius.

Vſuris Cœna Domini, neceſſariam in primis eſſe, ſuiipſorum probationem, grauiter Apoſtolus monet, 1. *Cor.* 11. *verſ.* 28. Quemadmodum & ſemper aliâs, piis vniuerſis, 2. *Cor.* 13.

Quid ſit probatio ſuiipſius

Eſt autem ita ſerium propriæ conſcientię examen καὶ ἐπερώτημα, quo homo ſeipſum perſcrutatur & ſeipſum iudicat in conſpectu Dei: id eſt, cum ratione & iudicio, candidè explorat & cognoſcit ſine oſcitantia & hypocriſi, an ſit in fide, & an Chriſtus in ipſo ſit? Niſi fortè ſit reprobus. Vel, an ſeriò de peccatis doleat, an verè propter Chriſtum ſibi ea remitti credat, an ſyncerè ac ſeriò de vita emendanda cogitet, an per crucem & mille mortes cum Chriſto & in fide eius, adiuuante Spiritu ſancto, ſit perſeueraturus; an denique & offenſas qualcunque quibuſuis condonaturus, necnon dilectionem ſit, erga quoſuis quibuſcunque poterit beneuolentiæ haud fictæ argumentis, probaturus. 1. *Cor.* 11. 2. *Cor.* 13.

Quibus in rebus probatio ſuipſius conſiſtat.

Et conſiſtit hæc ſuiipſius probatio in hiſce duobus.

I. Vt homo ſeſe examinet, probet atque diiudicet ipſum, ſicuti iam dictum eſt.

Quid ſit diiudicare corpus Domini.

II. Vt diiudicet etiam ſeu diſcernat corpus Domini, 1. *Cor.* 11. *verſ.* 29.

De priori paulo ante dictum eſt. Alterũ

verò ſic intelligendum. Is demum diſcernit atq; diiudicat corp⁹ Domini, qui epulū Cænæ myſticū rectè intuetur & verū eius vſum intelligit: itemq; à vulgarib. & prophanis epulis lōgiſſimè diſcernit: ac denique omnes abus⁹ idololatricos, ſuperſtitioſos & impios, euitat. 1. *Cor.* 10. *v.* 14. 19. 20. 21. 22. 1. *Cor.* 11. *v.* 21. 22. Eſt porrò corp⁹ Domini diiudicare, illud præclarè ac precioſè eſtimare, tanquam corpus Filii Dei viuētis, & tanquā verū panē vitę, cum tota per illud acquiſita generis humani redēptione. Nihil .n. reperitur in cælo vel terra precioſi⁹, nihil huic tāto beneficio ęquiparandū. Quapropter nō obiter neque ſegniter aut defunctoriè, ſed magno zelo ac feruore, hoc admirādū Dei opus pōderādū. *Iohā.* 4. *v.* 23. *cap.* 15. *v.* 13. *Rom.* 5. *v.* 8. *c.* 8. *v.* 32.

Tertio, ſūmū hęc diiudicatio poſtulat gaudiū Spiritus ſancti & lętitiā cōſcientiæ, cū animi & oris ac totius vitę, gratiarum actione & reuerentia: vt nimirū aperta & ſyncera ſit mortis Domini commemoratio.

Quarto, quia corpus etiā Chriſti, ſunt ipſimet pii cōmunicātes, & ipſa Eccleſia: diſcernēdū etiā hoc Chriſti corpus eſt, cū ſuis mēbris, ab omnib. Eccleſiis malignātiū, *Pſ.* 22. vt verę Eccleſię Chriſti, è notis ſupra expoſitis, agnitę, nos adiūgam⁹ & cōſociemus, à cœtib. impuris ac toto impio mūdo nos ſegregātes, 2. *Cor.* 6. *Hebr.* 10. Ac porrò, vt cū corpore & mēbris Chriſti, ꝑ Spiritū ſanctū, verā fidē & fraternā dilectionē, vnū ſimus, quēadmodū vnius corporis mēbra decet: ac ſeriò fratrū

atq; ſororũ in Chriſto afficiamur ac mederi ſtudeamus, ęrumnis atq; miſeriis. *Iohan.*13. *v.*34 35.*cap.*17.*verſ.*12.1 *Cor.*10.*verſ.*17.24.

Sed cõplectamur hęc vniuerſa paucis quęſtiunculis. *Prima* eſto, quid homo ſit? vbi nõ quæritur de ei⁹ creatione vel ſubſtantia; ſed ſtatu potius & cõditione. Eſt.n. quæſtio hæc ex media doctrina Legis deſũpta & cõmonefacit hominẽ, in hac naturę deprauatione cõſtitutũ, de iuſtitia Dei, & legis tũ sãctitate, tũ ſeueritate: Itẽq;, de lapſus primorũ parẽtũ, & corruptionis noſtræ atq, peccati, denique & iudicii diuini pœnæque grauitate: vt videlicet, nos ipſi cognoſcere, ac ſerio peccata deplorare & odiſſe diſcamus. *Rom.* 7. *verſ.*13.14.24. Huc pertinet ſacrificium illud ſpiritus humilis, Pſal.51. ¶ Altera ſit quæſtio: *Quid homo talis fieri poſſit ac debeat?* Quę tota eſt Euangelica, oſtendens, miſeris peccatorib. reſipiſcẽtib. cõſolationẽ ſupereſſe, & certò obtingere, in ſolo Chriſto Ieſu mediatore, idq; p fidẽ in ipsũ: vt redẽptionẽ à maledicto legis & ęterna cõdẽnatione, ac υἱοθεσίαν corã Deo, impetret. *Mat.* 5. *v.*6.*c.*1[illegible] *v.*28. *c.*12.*v.*18.19.20. *Marci* 1.*v.*15. *Hebr.*11.*verſ.*6. *Act.*4.*v.*12.*c.*10.*v.* 43 *c.*15 *verſ.*11. *Gal.*4.*v.*4. 5.6.7. *Rõ.*8.*v.*17. En vocationẽ Euãgelii, qua ad regnũ Chriſti & ſalutẽ ęternã, peccatores reſipiſcẽtes & credẽtes inuitãtur & accerſũtur. *Mat.*22.*v.*2. *Luca* 5.*v* 32.*cap.*24.*verſ.*47. III. ſit quęſtio. *Quid homo fieri deſideret?* Hęc ſimiliter ex Euangelio petita eſt, & poſtulat

Probatio ſubiectionis ipſius per tres explicata quæſtiones.

obedientiam fidei Euangelio debitam, vt nimirum aſſentiamur & pareamus vocationi. Act.2.verſ.40.cap.3.verſ.19. Rom.1.verſ.5. 16. Exigit ergo hæc quæſtio, vt verè credamus verbo & promiſſionibus Dei: vt ſimus obſequẽtes, fideles, ſeduli in cultu diuino, in vitæ probitate, in labore & operibus vocationis, in toleranda & ſuperanda cruce, in vincendis tentationibus, & in præſtandis operibus Chriſtianæ miſericordiæ ac dilectionis. Idque omne, erga Deum, magiſtratũ, parentes & qui eorum loco ſunt, coniugem, liberos, familiam, propinquos, proximum, diuites, pauperes, ſanos, ægrotos, amicos & inimicos, tam in rebus aduerſis, quam proſperis, prout res & vſus poſtulat. Huc pertinent, ſacrificium fidei, Philip.2.verſ.12. Sacrificium obedientiæ, Hoſeæ 6.& 1.Sam. 12. Sacrificium laudis, Pſa.50.& ſacrificium miſericordiæ, Matth.9.

Hæc hactenus, de Cœna Domini, per certa capita, tãquam ad rei ſummam cognoſcẽdam, explicata, ſufficiant: è quibus vnuſquiſque, quantum neceſſitas & veritatis cognitio poſtulat, facilè intelliget.

CAPVT SEPTIMVM.

De inuocatione ac precibus.

COgnitione Dei ac fide, & illa quidem tã verbo Euangelii quàm Sacramentis cõſtabilitâ, propter duplicem ſiue finem ſiue neceſſitatem, opus eſt.

Primò,

Primo, vt rectè Deus inuocetur atque colatur: Deinde, vt credentes de ſalute ęterna reddantur certiores. Etenim præcipua cultus diuini pars eſt Inuocatio: & fidei plerophoria ad preces, inuocatio autem ad ſalutis certitudinem, quam maximè, requiritur. Ioel. 2. verſ. 32. Matth. 4. verſ. 10. cap. 21. verſ. 13. Marci 11. verſ. 24. Iohan. 4. verſ. 23. 24. cap. 16. verſ. 23. Rom. 18. verſ. 14.

Ad poſterius quod attinet; de ſalutis certitudine, primo loco dictum eſt, in explicatione articulorum fidei. Iam prius illud, de inuocatione, paucis delineabimus.

Inuocatio, aliâs oratio, quaſi oris ratiô (teſte Auguſtino) dicta, eſt præcipua pars cultus diuini, peculiare, videlicet, opus Spiritus ſancti & veræ fidei effectus, adeoque ſerium & ſanctum cum Deo Patre, Filio & Spiritu ſancto, colloquium, non tam ex ore quam ex imo pectore procedēs: quo aut pro nobis ipſis & aliis, fiduciâ nominis Chriſti, bona ac dona neceſſaria ſiue ſpiritualia ſiue corporalia, ab ipſo petimus: aut de iiſdem acceptis gratias agimus. Ita Chryſoſtomus Homil. 2. ad populum Antioch. Lingua noſtra manus eſt, pedes Dei apprehendens. Et Auguſtinus in Pſal. 85. Oratio tua locutio ad Deum eſt. Quandò legis, tibi Deus loquitur: quandò oras, tu cum Deo colloqueris. Idem Serm. 232. De tempore: Quid eſt oratio, niſi aſcēſio animę de terre-

Inuocatio Dei quid.

ſtribus ad cæleſtia, inquiſitio ſupernorum, inuiſibilium deſiderium.

Inuocatio eſt primarius & neceſſarius Dei cultus.

Eſſe autem inuocationem primariã cultus diuini partẽ, ad illumque neceſſariò requiri, conſtat ex Deut.5.v.13.c.10.v. 20. Mat. 21. verſ.13. Rom. 10.verſ.13.14. Ac peculiare dicitur opus Spiritus ſancti, fideique fructus quia ille preces in cordibus hominum accendit, fouet, prouehit. *Ioel.*2.*verſ.*32. *Zach.* 12 *verſ.*10. Iohan.4.verſ.23.24. *Rom.* 8.*v.*15. 26.27. Deinde ſine fide nemo inuocare Deũ poteſt. *Iohan.*16. & *Rom.*10.

Dicitur etiã ſerium & ſanctum cum Deo colloquium non tam ex ore, quam imo pectore emanans; quia videlicet Deus eſt Spiritus, in ſpiritu ac veritate adorãdus. Neque enim in externa precum forma, neruus orationis cõſiſtit; ſed in cordis affectu. *Io.*4.*v.* 23.24 *Matth.*6.*v.*57.

Additur de *fiducia nominis Chriſti*. Quia ſine hoc Mediatore ac fide in ipſum placere Deo eſt impoſſibile: nec aliter inuocari Deus rectè poteſt. *Hebr.*11. *verſ.*6. *Marci* 11.*v.*24. *Iohan.* 9. *verſ.*31. *cap.*16. *verſ.*23. *Rom.* 10. *verſ.* 14.

Inuocatio concernit totum Eccleſiæ corpus.

Petimus autẽ pro nobis ipſis & aliis: quia inuocatio Dei, totum corpus Eccleſiæ concernit, & quodlibet eius mẽbrum, in adoratione, cum toto ſe corpore coniungit. Vnde & Chriſtus ipſe Deum tãquã patrẽ noſtrum inuocare nos docuit, & petere, vt nobis det panẽ quotidianum, & nobis remittat peccata no-

ta noſtra, & ſic deinceps: ad ſãctorũ vtiq; cõmunionẽ vt nos remittens. Deinde & charitas poſtulat, tã ꝓ aliis q̃ nobiſipſis, & quidẽ etiã pro inimicis precemur, *Matth.* 5. *v.* 45. *cap.* 6. *verſ.* 9. 1. *Tim* 2. *verſ.* 1. *Iacob* 5. *v.* 14. 15.

Partes inuocationis.

Aut verò petimus aliquid orãtes, aut gratias Deo agimus. Siquidẽ certæ ſine ſpecies ſiue partes inuocationis in verbo Dei exprimuntur. Vtpote gratiarum actio, deprecatio, interceſſio, poſtulatio. *Pſal.* 50. *verſ.* 14. 15. *Philip.* 4. *verſ.* 6. 1. *Tim.* 2. *verſ.* 1.

Gratiarum actio.

Gratiarum actio eſt in oratione, humilis primùm cõfeſſio noſtræ inopiæ: deinde vera laus ac celebratio diuinæ bonitatis ac donorum; ac deniq; votum debitum inſeruiendi Deo eumque ritè colendi.

Deprecatio.

Deprecatio, δέησις appellata, intelligitur de petitione remittẽdę tum culpæ, tum pœnæ.

Interceſſio.

Interceſſio Gręcè προσευχή, vſurpatur de oratione pro aliis, vt *Matth.* 5. *verſ.* 45. ¶ Poſtulatio ſeu ἔντευξις, eſt flagitatio boni neceſſarii.

Poſtulatio.

Quis inuocandus?

Inuocãdus aũt eſt ſolus & vnus verus Deus, Pater, Filius & Spiritus S. *Deut.* 6. *v.* 13. *c.* 10. *v.* 20. & *Mat.* 4. De inuocatione Patris extant loci ferè infiniti. Vtpote: *Eſa.* 63. *v.* 16. *Mat.* 6. *v.* 6. 7. 8. 9. *c.* 11. *v.* 25. 26. *Iohan.* 11. *v.* 41. 42. *c.* 12. 27. 28. *c.* 17. *v.* 1. 11. 24. *Act.* 4. *v.* 24. *Rõ.* 15. *v.* 5. 6. 2. *Cor.* 1. 3. *Eph.* 1. *v.* 3. *c.* 3. *v.* 14. 15. 16. 17. 2. *Theſ.* 3. *v.* 11. 12. 13. 1. *Pet.* 1. *verſ.* 3. De inuocatione Filii Dei, omnia illa accipiẽda ſunt, quibus antea oſtẽdimꝰ eũ eſſe verum Deũ cum patre vnũ, Deum in ſecula benedictum & vitam æter-

Adoratio Dei patris.

Adoratio Filii Dei.

Digitized by Google

nã. Quô inſuper plura ſunt adiicienda teſtimonia. Vt Lucæ 5. verſ. 8. Iohan. 5. verſ. 23. c. 20. verſ. 28. 1. Tim. 1. verſ. 12. Hebr. 1. Sic & Spiritus ſancti inuocatio primum illis ipſis probatur argumentis, quibus antè demonſtratum eſt, eum vnum eſſe & eundem cum Patre & Filio verum & viuum & æternũ Deũ. Deinde euincitur ex eo adorãdus, quod ipſe Filius, cum in Baptiſmo, ſecum, & cum patre inuocandum, docuerit ac mandarit. Tertio, debetur ei inuocatio, qui templum Dei inhabitat, & cuius illud eſt: Atqui Spiritus ſanctus illud inhabitat & ipſius eſt: Ergo debetur ei inuocatio. Deſumptum eſt hoc argumentum ex 1. Cor. 6. verſ. 19. Et vtitur eodem Auguſtinus contra Adimantum Manichæum & contra Maximinum Arianum. Quarto, huc facit, quod Paulus benè precetur Corinthiis, non minus per Spiritum Sãctum, quam per Patrem & Filium, 2. Cor. 13. verſ. 13.

Adoratio Spiritus ſancti.

Cur ſolus Deus adorandus?

Porrò cur ſolus Deus adorandus, notandæ ſunt hæ rationes. Prima, quia huic ſoli is honos & cultus debetur, Deut. 10. verſ. 20. Matth. 4. verſ. 10. Secunda, quia ſolus ille eſt omniſcius, & ſuſpiria gemituſque cordis intelligit, Eſa. 63. verſ. 16. Ierem. 17. verſ. 10. Tertia, quia ſolus opitulari poteſt, tanquã Deus omnipotens, Geneſ. 17. verſ. 1.

Quarta, quia ſolus exauditionem precum promittit ac præſtat. Pſal. 50. verſ. 15. Iohan. 16. verſ. 23.

Quinta,

Digitized by Google

Quinta, quia omnis idololatria & inuocatio eorum qui naturâ Dii non ſunt, prohibita eſt. Matth. 4. verſ. 10. Gal. 4. verſ. 8. Sexta, quia preces aliô directæ, ſunt vanæ & irritæ: ſicut patet 1. Reg. 18. verſ. 26. 27. 28. 29.

Idcirco neque ſancti homines vitâ functi, nec ipſimet angeli Dei adorandi aut inuocatione honorandi ſunt.

Neque angeli nec ſancti homines defuncti inuocandi.

Siquidem Deus gloriã ſuam non dat alteri, Eſ. 42. verſ. 8. cap. 48. verſ. 11. Præterquã quod neque defuncti homines quantumlibet ſancti, nec angeli ipſi, omnia vel ſciunt vel poſſunt. Quod tamen in eo certè requiritur, qui ſit inuocandus. Denique ipſimet Angeli Dei ſeriò vetant, nequis id perpetret, vt eos adorare præſumat. Iudic. 13. verſ. 15. 16. Apocal. 19. verſ. 10. cap. 22. verſ. 8. 9.

Quid à Deo petendum?

Quid verò à Deo petendum ſit, docet in primis oratio Dominica. Nimirum ea vniuerſa, quæ ad gloriam Dei, & noſtram, totiuſque Eccleſiæ ac proximi neceſſitatem atque vtilitatem, ac denique ad auertenda mala ac pericula, requiruntur: ſiue corpus concernant, ſiue animam, ſiue hanc, ſiue futurã vitam. Matth. 6. Lucæ 11.

Cur inuocatio neceſſaria?

Et ſunt preces omninò perneceſſariæ, hiſce potiſſimum quatuor de cauſſis.

Prima, vt Deo præſtetur honos & cultus debitus.

Altera, vt noſtræ conſulatur neceſſitati.

Tertia, vt exerceantur, fides, dilectio, patientia & ſpes.

Digitized by Google

Quarta, vt infinita pericula & mala euitentur: & è contra diuina impetretur benedictio & gratia.

Quanta deniq; ſit vis & efficacia, & quàm vſus multiplex inuocationis: id quidem paucis explicari non poteſt. Efficax enim iuſti oratio plurimum poteſt. *Iacob. 5. verſ. 16.* Quapropter quicquid huius eſt, ex hiſtoriis & exemplis Scripturæ ſanctæ, & ab ipſa rei experiẽtia, peti debet. Enumerabimus pauca quædam huc pertinentia. Vt verbi cauſſa;

1. Auertit inuocatio hominem ab omni re creata & à ſemetipſo, & abripit eum adducitque in arcanum cum Deo colloquiũ. *Matth. 6. verſ. 6.*

2. Impetrat ea tum aliis tum nobiſipſis, res vtiles atque neceſſarias. Neq; enim Deus vacuos dimittit ſeriò orantes.

3. Precibus ipſe tenetur Deus atque ſuperatur, Geneſ. 18. & 32.

4. Iiſdem in fugam abiguntur Diaboli, *Matth. 4. verſ. 10. 1. Pet. 5. verſ. 8. 9. Tobiæ 8. verſ. 4.* &c.

5. Propulſantur hoſtes. *Exod. 7. verſ. 11. 12. Eſa. 37. & 2. Paral. 20.*

6. Superantur omnis generis tentationes, Matth. 6. v. 26.

7. Obtinetur peccatorũ remiſſio, *Pſal. 32. Matth. 6. Daniel. 9.*

8. Impetratur Spiritus ſanctus, *Lucæ 11.*

9. Solis & Lunæ ſiſtitur curſus, *Iehoſ. 10.*

10. Domantur leones, *Dan. 6.*

11. Ex-

11. Extinguitur vis ignis & ſiſtitur aqua. *Dan.3 & Exod.14. Eſa.43.*

12. Mitigatur cęlum & aër, & pluuię impetrantur, vt in Exemplo Helię, *Iacob. 5.*

13. Carceres effringuntur & catenę ianuęque ferreę. *Act.12. & 14.*

14. Proſperantur coniugia, *Tob.7.*

15. Sterilib. impetratur fæcunditas, 1. *Sa.1.*

16. Morbi profligantur, *Eſa.38. Iacob. 5.* Et occurrunt inuocātium Dominum Ieſum exēpla plurima, quos ille ſanauit & à morbis liberauit.

17. Ipſa precibus obtinetur vitę prorogatio. Exemplo eſt Eſaias cum rege Ezechia, *Eſa.38.* Itē filia Iairi, *Marci 5.* Et filius viduæ in Naïn, *Lucæ,7.* Et Lazarus, *Iohan.11.*

18. Precibus & miniſterium Eccleſiaſticum prouehitur, *Mat.9. verſ.38. Rom. 15. Coloſſ.4. verſ.3.4.*

19. Precibus conſeruantur Magiſtratus, Reſpublica, pietas, pax & honeſtas: 1. *Tim.2.*

20. Cōiunguntur homines, per inuocationem, in veri Dei cultu, cum ſanctis angelis, eiſque aſſociantur, *Hebr.1. verſ.6. Apocal.6. v.9.* &c.

21. Breuiter precib. obtinētur à Deo quęcūq; piis in tota vita ſunt neceſſaria & vtilia. Et quis id genus omnia enumeret? Neq;. n. manus Dei abbreuiata eſt, quò minus adiuuet, nec auris ei⁹ grauata, quò minus audiat: modóne peccata noſtra nos à Deo auellāt. *Eſa.59.* Nec vllum eſt verbum impoſſibile apud ipſum, *Lucæ 1. verſ.17. Matth.19. verſ.26.*

Digitized by Google

Regula de inuocatione obſeruanda.

Conſignauimus paucis præcipua de inuocatione Dei capita, fuſius in ſacris Literis tradita & ab aliis explicata. Nobis hoc loco breues hæ notulę ſufficient. Cæterum vt res omnis legentibus in conſpectu ſit, regulis aliquot ſuccinctè, totum negotium complectemur.

PRIMA. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Etenim pater tales quærit, qui ipſum adorent. Deus eſt Spiritus, & qui adorant eum, oportet, vt in Spiritu & veritate adorent. Iohan. 4.

SECVNDA. Inuocandus Pater in nomine Ieſu Chriſti Filii eius, Iohan. 16.

TERTIA. Orandum fideli mente: nec de exauditione dubitandum. Marci 11. verſ. 24. Iohan. 16. verſ. 23. Rom. 14. verſ. vlt. Iacob. 1. verſ. 6.

QVARTA. Inuocatio non ſit poſita in multiloquio quaſi Ethnico, Matthæi 6. Eſa. 29.

QVINTA. Sit oratio feruens & ſeria: Pſal. 25. verſ. 1. Pſal. 103. verſ. 1. 1. Cor. 14. verſ. 15. Chryſoſtomus ad pop. Antioch. Homil. 79. Omnes quidem oramus, ſed non omnes in conſpectu Domini. Etenim cum corpore in terram proſtrato, & ore fruſtrà delirante, mens vbique per domum & forum circumuagatur: quo ore talis poſſit dicere, quod orauerit in conſpectu Domini.

SEXTA. Preces, non ſuperſtitiosè ad

locum

Digitized by Google

locum & tempus, alligandę. Iohan. 4. 1. Tim. 2. verſ. 8.

Septima. Orandum indeſinenter, Lucæ 18. Act. 2. verſ. 46. Ambroſius lib. 3. De virginibus: crebra oratio nos Deo cōmendet. Si enim Propheta dicit: *Septies in die laudem dixi tibi*, qui tamen regni erat neceſſitatibus occupatus: Quid nos facere oportet? Qui legimus: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

Octava. Euentus diuinæ voluntati commendandus, Matth. 6. Lucæ 11. 1. Iohan. 5. verſ. 14 Pſal. 27. verſ. 14. Habacuk. 2. verſ. 34. Act. 21. verſ. 14. Auguſtinus in Iohann. Tract. 73. Orantes tanquam ſeminantes, nō deficim⁹: tempore enim proprio metemus.

Nona. Gratiarum actio cum inuocatione coniungatur. Phil. 4. verſ. 6.

Decima. Attollendæ manus puræ, ſine ira & contentione 1. Tim. 2. verſ. 8.

Vndecima. Petenda quæ in oratione Dominica Chriſtus præſcripſit expreſſitq;, Matth. 6. Lucæ 11.

Dvodecima. Nominatim orandum.

1. Pro magiſtratu, 1. Tim. 2. verſ. 2.
2. Pro verbi diuini miniſtris. Matth. 9. v. 38 Lucæ cap. 10. verſ. 2. Philip. 1. verſ. 19. Coloſſ. 4. verſ 3.
3. Pro tota credentiū Eccleſia. Iohan. 17.
4. Pro ægrotis & afflictis quibuslibet, Act. 12 verſ. 5. & Iacob. 5.
5. Pro inimicis, Matth. 5.

Digitized by Google

6. Pro omnibus hominibus, 1. *Tim.* 2 v. 1.

Tantum in præſentia de inuocatione ac precibus.

Perduximus itaque, ſingulari beneficio Dei, ad finem optatum, hanc ſiue epitomē Theologicam, ſiue libellum, de præcipuis aliquot Religionis & fidei Chriſtianæ capitibus. Qui tametſi aridus videri ac ſterilis, obiter intuenti, poterit, quod nudę res abſque copioſa explicatione, & orationis adhibito ſplendore: proponantur: non tamen infrugiferam eius lectionem, piis ingeniis, futuram confidimus, Primo, propter doctrinæ fidelem ac neruoſam expoſitionem, quæ ornatu conquiſito non indiget: nam & nuda placet veritas & grata decoraque ſatis eſt ſimplex eius oratio. Deinde, quod prudens ac diligens lector, nullo ſit negotio deprehenſurus, quot & quam graues controuerſiæ & quæſtiones, facilima & vulgari hac tractatione, decidātur: quæ alioquin vix iuſtis voluminibus apud alios cōprehenſæ definiuntur. Ac poſtremo, nihil aliud in animo, & ſtudio mihi fuit, quam fundamenta orthodoxæ totius Eccleſiæ Chriſti confeſſionis (quæ & mea eſt) paucis perſtringere. Vt enim Philoſophia omnis (teſte Cicerone) ita ſeorſim etiam Theologia, paucis eſt contenta indicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eiq; ipſi & ſuſpecta & inuiſa.

Siquis verò deſiderat vberiorem rerum explanationem: non illi deerunt & multi & magni nominis Commentarii, quorum plurima publicè extant ſcripta vtiliſſima. Noſtris interim hiſce, qui poterunt, vtantur fruātur: Deum pro luce ac donis amplioribus, piè nobiſcum inuocantes.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE VITTORIO EMANUELE II IN ROMA

COMMISSA ET OMISSA.

PAg.5.℣ſ.4.*lege*, ad. 34,26,ſtaturis. 38, *℣ſ. vlt.* offenſio. 40,11,inquirant. 44,3,vllo. 45,20, ſint. 47,*℣ſ.penult.*ſed. 48,16,aperit. *ibid.*21,huic. 51,15,Deo. 59, *℣ſ.vltim.* peremptis. 66, 6,è Dec. 74,*℣ſ antepen.inſere*, ſpiritui. 75,14,Zemblæ. 78. 24, iubendo. 79, 9,perficit. *ibid.*16,vitioſitatem. 80,20,operatur.ve. 81,20, illa en. 83, 19,grauiſſimæ. 84, 22, paruulos. 88, 6, reprobatos. 94.*in marg.℣ſ. vltim.aade*, nec humanam naturam, natura diuina. 95,10,diſpic. 100,*in marg.pro* creatura,*leg.*perſona. 105,*℣ſ.penult.*vtrumque. 106,1,*pro*, hominem,*leg.*Filium. 109,24,epiſtola. 112, *℣ſ.vltim.*Hęc. 113,8,Eadem. 118,25,*leg.*obſtetr. Zebule,vid. & Salome, dictis, quarum vni manus, *&c.* 124.*℣ſ penult.*ſacerdotum. 129,1,aboleret. 132,12, *pro*,ſc.ſed. 134,13,*adde*,pro car. 146,16,*adde*,extincto. 154,25,merè. 158,22,regni. 162,12, relig. ſimulantes. 168,27,verbi. 169, 11,indicium. *ibid.* 19,hanc. 171,5,fruitionem. 175, *℣ſ. antepenult.*inſtaurato. 177.7,*adde*,& omn. 188, *℣ſ.penult* operoſi. 202,23,ſuam. 233,18,*adde*,filii. 239,2,c 2.℣ſ. *ibid. ℣ſ. penult.* ua Eccl. 245,25, ex ſanguine c 251, 15,vera com. *ibid.*19, expreſsè. 255, 25. Mauſim. 258,7,*pro*,fit,*ex.* 266,18, acceptis. 269, *℣ſ.vlt dele*, articuli. 276, 3, corpus. 280, 16,*adde*,modum. 283,31,carent.

Digitized by Google

6. Pro omnibus hominibus, 1. *Tim.* 2 v. 2.

Tantum in pręſentia de inuocatione ac precibus.

Perduximus itaque, ſingulari beneficio Dei, ad finem optatum, hanc ſiue epitomē Theologicam, ſiue libellum, de præcipuis aliquot Religionis & fidei Chriſtianæ capitibus. Qui tametſi aridus videri ac ſterilis, obiter intuenti, poterit, quod nudę res abſque copioſa explicatione, & orationis adhibito ſplendore: proponantur: non tamen infrugiferam eius lectionem, piis ingeniis, futuram confidimus, Primo, propter doctrinæ fidelem ac neruoſam expoſitionem, quæ ornatu conquiſito non indiget: nam & nuda placet veritas & grata decoraque ſatis eſt ſimplex eius oratio. Deinde, quod prudens ac diligens lector, nullo ſit negotio deprehenſurus, quot & quam graues controuerſiæ & quæſtiones, facilima & vulgari hac tractatione, decidātur: quæ alioquin vix iuſtis voluminibus apud alios cōprehenſæ definiuntur. Ac poſtremo, nihil aliud in animo, & ſtudio mihi fuit, quam fundamenta orthodoxæ totius Eccleſiæ Chriſti confeſſionis (quæ & mea eſt) paucis perſtringere. Vt enim Philoſophia omnis (teſte Cicerone) ita ſeorſim etiam Theologia, paucis eſt contenta indicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eiq; ipſi & ſuſpecta & inuiſa.

Siquis verò deſiderat vberiorem rerum explanationem: non illi deerunt & multi & magni nominis Commentarii, quorum plurima publicè exſtant ſcripta vtiliſſima. Noſtris interim hiſce, qui poterunt, vtantur fruātur: Deum pro luce ac donis amplioribus, piè nobiſcum inuo cantes.

FINIS.

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Digitized by Google

COMMISSA ET OMISSA.

PAg.5.℣ſ.4.*lege*, ad. 34,26,ſtaturis. 38, ℣ſ.*vlt.* offenſio. 40,11,inquirant. 44, 3,vllo. 45,20, ſint. 47,℣ſ.*penult.*ſed. 48,16,aperit. *ibid.*21,huic. 51,15,Deo. 59, ℣ſ.*vltim.* peremptis. 66, 6,è Dec. 74,℣ſ *antepen.inſere* , ſpiritui. 75,14,Zemblæ. 78. 24, iubendo. 79, 9,perficit. *ibid.*16,vitioſitatem. 80,20,operaturve. 82,20, illa en. 83, 19,grauiſſimæ. 84, 22, paruulos. 88, 6, reprobatos. 94,*in marg.*℣ſ. *vltim.adde*, nec humanam naturam, natura diuina. 95,10,diſpic. 100,*in marg.pro* creatura,*leg.*perſona. 105,℣ſ.*penult.*vtrumque. 106,1,*pro*, hominem,*leg.*Filium. 109,24,epiſtola. 112, ℣ſ.*vltim.*Hęc. 113,8,Eadem. 118,25,*leg.*obſtetr. Zebule,vid. & Salome, dictis, quarum vni manus, *&c.* 124.℣ſ *penult.*ſacerdotum. 129,1,aboleret. 132,12, *pro*,ſc.ſed. 134,13,*adde*,pro car. 146,16,*adde*,extincto. 154,25,merè. 158,22,regni. 162,12, relig. ſimulantes. 168,27,verbi. 169, 11,indicium. *ibid.* 19,hanc. 171,5,fruitionem. 175, ℣ſ.*antepenult.*inſtaurato. 177,7,*adde*,& omn. 188, ℣ſ.*penult* operoſi. 202,23,ſuam. 233,18,*adde*,filii. 239,2,c 2.℣ſ. *ibid.* ℣ſ.*penult.* ua Eccl. 245,25, ex ſanguine c 251, 15,vera com. *ibid.*19, expreſsè. 255, 25, Mauſim. 258,7,*pro*,fit,*ex.* 266,18, acceptis. 269, ℣ſ.*vlt dele*, articuli. 276, 3, corpus. 280, 16,*adde*,modum. 283,31,carent.

Digitized by Google

AVITA GELDENHAVRIORVM INSIGNIA.

DOMINI VOLVNTAS FIAT, *Actor.* 21.

His antiqua ſtetit ſtirps Geldenhauria, ſignis:



His & auitus honos, viuit imaginibus.

Geldrenſi claris, vir, in Aula, floruit actis:
  Geldenhaurius is, nempe, Gerhardus erat.
Conſilio ille potens, famâ & virtute coruſcans,
  Seruiit, ecce, tribus, ordine, Principibus.
Arnoldus dux vnus erat: fuit alter Adolphus:
  Cuius tertia erat, pòſt, Catharina ſoror.
Hiſce fidem cunctis per multos præſtitit annos:
  Hinc decus egregii, ſplendida ſigna, viri.
Dextera pars, ab auis deſcendit, iure paterno:
  Altera, maternis, eſt reliqua, ex atauis.
Aureus in ſcuto, color, à virtute Gerhardi,
  Prolucet flauo, cum trabe cærulea.
Eximiæ teſtis doctrinæ, in caſſide, laurus
  Eminet, atque ſacra Palladis arte, viret.
Hæc eadem ſibi progenies, nunc, ſera nepotum
  Vendicat: & ſtudio laudis, honorat auos.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Regula de inuocatione obſeruanda.

Conſignauimus paucis præcipua de inuocatione Dei capita, fuſius in ſacris Literis tradita & ab aliis explicata. Nobis hoc loco breues hæ notulę ſufficient. Cæterum vt res omnis legentibus in conſpectu ſit, regulis aliquot ſuccinctè, totum negotium complectemur.

PRIMA. Veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu & veritate. Etenim pater tales quærit, qui ipſum adorent. Deus eſt Spiritus, & qui adorant eum, oportet, vt in Spiritu & veritate adorent. Iohan. 4.

SECVNDA. Inuocandus Pater in nomine Ieſu Chriſti Filii eius, Iohan. 16.

TERTIA. Orandum fideli mente: nec de exauditione dubitandum. Marci 11. verſ. 24. Iohan. 16. verſ. 23. Rom. 14. verſ. vlt. Iacob. 1. verſ. 6.

QVARTA. Inuocatio non ſit poſita in multiloquio quaſi Ethnico, Matthæi 6. Eſa. 29.

QVINTA. Sit oratio feruens & ſeria: Pſal. 25. verſ. 1. Pſal. 103. verſ. 1. 1. Cor. 14. verſ. 15. Chryſoſtomus ad pop. Antioch. Homil. 79. Omnes quidem oramus, ſed non omnes in conſpectu Domini. Etenim cum corpore in terram proſtrato, & ore fruſtrà delirante, mens vbique per domum & forum circumuagatur: quo ore talis poſſit dicere, quod orauerit in conſpectu Domini.

SEXTA. Preces, non ſuperſtitioſè ad locum

locum & tempus, alligandę. Iohan. 4. 1. Tim. 2. verſ. 8.

SEPTIMA. Orandum indeſinenter, Lucæ 18. Act. 2. verſ. 46. Ambroſius lib. 3. De virginibus: crebra oratio nos Deo cōmendet. Si enim Propheta dicit: *Septies in die laudem dixi tibi*, qui tamen regni erat neceſſitatibus occupatus: Quid nos facere oportet? Qui legimus: Vigilate & orate, ne intretis in tentationem.

OCTAVA. Euentus diuinæ voluntati commendandus, Matth. 6. Lucæ 11. 1. Iohan. 5. verſ. 14 Pſal. 27. verſ. 14. Habacuk. 2. verſ. 34. Act. 21. verſ. 14. Auguſtinus in Iohann. Tract. 73. Orantes tanquam ſeminantes, nō deficim⁹: tempore enim proprio metemus.

NONA. Gratiarum actio cum inuocatione coniungatur. Phil. 4. verſ. 6.

DECIMA. Attollendæ manus puræ, ſine ira & contentione 1. Tim. 2. verſ. 8.

VNDECIMA. Petenda quæ in oratione Dominica Chriſtus præſcripſit expreſſitq;, Matth. 6. Lucæ 11.

DVODECIMA. Nominatim orandum.

1. Pro magiſtratu, 1. Tim. 2, verſ. 2.

2. Pro verbi diuini miniſtris. Matth. 9. v. 38 Lucæ cap. 10. verſ. 2. Philip. 1. verſ. 19. Coloſſ. 4. verſ 3.

3. Pro tota credentiū Eccleſia. Iohan. 17.

4. Pro ægrotis & afflictis quibuslibet, Act. 12 verſ. 5. & Iacob. 5.

5. Pro inimicis, Matth. 5.

Digitized by Google

6. Pro omnibus hominibus, 1. *Tim.* 2 v. 1.

Tantum in prçſentia de inuocatione ac precibus.

Perduximus itaque, ſingulari beneficio Dei, ad finem optatum, hanc ſiue epitomẽ Theologicam, ſiue libellum, de præcipuis aliquot Religionis & fidei Chriſtianæ capitibus. Qui tametſi aridus videri ac ſterilis, obiter intuenti, poterit, quod nudę res abſque copioſa explicatione, & orationis adhibito ſplendore: proponantur: non tamen infrugiferam eius lectionem, piis ingeniis, futuram confidimus, Primo, propter doctrinæ fidelem ac neruoſam expoſitionem, quæ ornatu conquiſito non indiget: nam & nuda placet veritas & grata decoraque ſatis eſt ſimplex eius oratio. Deinde, quod prudens ac diligens lector, nullo ſit negotio deprehenſurus, quot & quam graues controuerſiæ & quæſtiones, facilima & vulgari hac tractatione, decidãtur: quæ alioquin vix iuſtis voluminibus apud alios cõprehenſæ definiuntur. Ac poſtremo, nihil aliud in animo, & ſtudio mihi fuit, quam fundamenta orthodoxæ totius Eccleſiæ Chriſti confeſſionis (quæ & mea eſt) paucis perſtringere. Vt enim Philoſophia omnis (teſte Cicerone) ita ſeorſim etiam Theologia, paucis eſt contenta indicibus, multitudinem conſultò ipſa fugiens, eiq; ipſi & ſuſpecta & inuiſa.

Siquis verò deſiderat vberiorem rerum explanationem: non illi deerunt & multi & magni nominis Commentarii, quorum plurima publicè exſtant ſcripta vtiliſſima. Noſtris interim hiſce, qui poterunt, vtantur fruãtur: Deum pro luce ac donis amplioribus, piè nobiſcum inuocantes.

FINIS.

EMANUELE ... IN ROMA

Digitized by Google


COMMISSA ET OMISSA.

PAg.5.℣ſ.4.*lege*, ad. 34,26,ſtaturis. 38, ℣ſ.*vlt.* offenſio. 40,11,inquirant. 44, 3,vllo. 45,20, ſint. 47,℣ſ.*penult.*ſed. 48,16,aperit. *ibid.*21,huic. 51,15,Deo. 59, ℣ſ.*vltim.* peremptis. 66, 6,è Dec. 74,℣ſ *antepen.inſere* ,ſpiritui. 75,14,Zemblæ. 78. 24, iubendo. 79, 9,perficit. *ibid.*16,vitioſitatem. 80,20,operaturve. 81,20, illa en. 83, 19,grauiſſimæ. 84, 22, paruulos. 88, 6, reprobatos. 94,*in marg.*℣ſ. *vltim. aade*, nec humanam naturam, natura diuina. 95,10,diſpic. 100,*in marg.pro* creatura,*leg.*perſona. 105,℣ſ.*penult.*vtrumque. 106,1,*pro*, hominem,*leg.*Filium. 109,24,epiſtola. 112, ℣ſ.*vltim.*Hęc. 113,8,Eadem. 118,25,*leg.*obſtetr. Zebule,vid. & Salome, dictis, quarum vni manus, *&c.* 124.℣ſ *penult.*ſacerdotum. 129,1,aboleret. 132,12, *pro*,ſc.ſed. 134,13,*adde*,pro car. 146,16,*adde*,extincto. 154,25,merè. 158,22,regni. 162,12, relig. ſimulantes. 168,27,verbi. 169, 11,indicium. *ibid.* 19,hanc. 171,5,fruitionem. 175, ℣ſ. *antepenult.*inſtaurato. 177,7,*adde*,& omn. 188, ℣ſ.*penult* operoſi. 202,23,ſuam. 233,18,*adde*,filii. 239,2,c 2.℣ſ. *ibid.* ℣ſ. *penult.* ua Eccl. 245,25, ex ſanguine c 251, 15,vera com. *ibid.*19, expreſsè. 255, 25, Mauſim. 258,7,*pro*,fit,*ex.* 266,18, acceptis. 269, ℣ſ.*vlt dele*, articuli. 276, 3, corpus. 280, 16,*adde*,modum. 283,31,carent.

AVITA GELDENHAVRIORVM INSIGNIA.

DOMINI VOLVNTAS FIAT, *Actor.* 21.

His antiqua ſtetit ſtirps Geldenhauria, ſignis:



His & auitus honos, viuit imaginibus:

Geldrenſi claris, vir, in Aula, floruit actis:
  Geldenhaurius is, nempe, Gerhardus erat.
Conſilio ille potens, famâ & virtute coruſcans,
  Seruiit, ecce, tribus, ordine, Principibus.
Arnoldus dux vnus erat: fuit alter Adolphus:
  Cuius tertia erat, pòſt, Catharina ſoror.
Hiſce fidem cunctis per multos præſtitit annos:
  Hinc decus egregii, ſplendida ſigna, viri.
Dextera pars, ab auis deſcendit, iure paterno:
  Altera, maternis, eſt reliqua, ex atauis.
Aureus in ſcuto, color, à virtute Gerhardi,
  Prolucet flauo, cum trabe cærulea.
Eximiæ teſtis doctrinæ, in caſſide, laurus
  Eminet, atque ſacra Palladis arte, viret.
Hæc eadem ſibi progenies, nunc, ſera nepotum
  Vendicat: & ſtudio laudis, honorat auos.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

15 - 2 - 3